SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE,

CONTINENS

PHILOCTETAE SOPHOCLIS ENARRATIONEM,

CUM

NONNULLORUM LOCORUM EXPLICATIONE.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE,

CONTINENS

PHILOCTETAE SOPHOCLIS ENARRATIONEM

CUM

NONNULLORUM LOCORUM EXPLICATIONE,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII GUILIELMI OPZOOMER,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET JUR. UTR. DOCT., PHIL. PROF.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARIAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET
LITTERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

FREDERICUS AUGUSTUS HEKMEIJER,

Rheno-Trajectinus.

A. D. III M. SEPTEMBRIS, A. MDCCCLI, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD VAN HEIJNINGEN & POST UITERWEER.
MDCCCLI.

Typis VAN DER MONDE & SOC.

FRATRI CARISSIMO

FRANCISCO CORNELIO HEKMEIJER,

ARTIS VETERINARIAE, ETC. IN SCHOLA
RHENO-TRAJECTINA PRAECEPTORI

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Ne fortasse mirere, dilecte Frater! tibi potissimum, qui in artem meis studiis prorsus dissimilem operam tuam et laborem conferre soleas, quique in antiquitatis disciplina plane hospitem te profiteare, hanc Academicam scriptionem offerri : quis est, qui modo cum Musis, id est cum humanitate et cum doctrina, habeat aliquod commercium, quin Ciceronianum illud : „Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continentur," laudet et amplectatur?

Sed accedit, quod Tu in primis, Frater! ut litteris me dederem diligenterque in iis elaborarem, auctor mihi exstitisti et adhortatione non minus quam exemplo tuo semper me ad laudabilia quaeque incitasti!

Quodsi quis miretur, quae ratio fuerit, cur tam difficilem materiem tractandam mihi elegerim, in qua illustranda tot tamque eruditi viri desudarint : non ideo equidem illud onus humeris imposui, quod quae ego allaturus essem, ea magnopere comprobatum iri exspectarem, verum ut, quum legibus Academicis satisfacerem, simul aliquid saltem conferre tentarem ad

illustrandum scriptorem, quem dudum in deliciis habere coepi. Illud vero, quod quam exiguum sit sentio, quamvis variis muneris negotiis ac curis distractus sim, tamen auctius et politius in lucem proferre optassem, nisi κρατερὴ ἐπέκειτο ἀνάγκη, *quae mihi, ut summos in Philosophia Theoretica et Litteris Humanioribus honores consequerer, certum temporis terminum constituit, extra quem egredi non licebat.*

A vobis autem, Viri Clarissimi, Litterarum Humaniorum Professores! quorum institutione in hisce litteris usus sum, discedere non possum, quin gratias quam maximas vobis ex animo agam. Vos enim me adolescentem benigne inter discipulos receptum liberali institutione vestra tam publica quam privata viam ad altiora studia egregie patefecistis. Neque eo contenti fuistis: optimis semper consiliis monitisque me adjuvistis; commendatione vestra quam maxime mihi profuistis. Quidquid denique sum, id vobis me debere pio ac grato animo palam profiteor. Vos ut D. O. M. diu incolumes servet, enixe precor!

Nec minus vobis, Juris Professores, Viri Clarissimi! quos aliquamdiu audire mihi contigit, pro collata in me benevolentia gratiam laetus persolvo.

Vos item, Gymnasii Rheno-Trajectini doctores, persuasum vobis habete, me egregiae, qua in gymnasio vestro usus sum, disciplinae nunquam obliturum. Vestrum memoriam in mente mea insculptam nulla aetas delebit!

Fabulae expositio.

Si qua fabula, profecto Philocteta in Lemno (1) virorum doctorum ingenia exercuit, tum si totam dramatis compositionem spectes, tum si de singulis quaeras partibus. In tanta opinionum diversitate haud inutile duximus fabulam fusius enarrare, quo simul idoneam nanciscemur opportunitatem inquirendi in

(1) Docuit Sophocles etiam Φιλοκτήτην τὸν ἐν Τροίᾳ, auctore Hesychio, v. ζηλῶ et ῥακτηρίοις. Sed hoc drama ex Hermanni sententia satyricis annumerandum. Achaei tamen Φιλ. ἐν Τροίᾳ tragoedia fuit. Praeterea fragmenta, quae paucissima exstant, nihil habent satyrici. Cfr. Suvernius in libro, qui inscribitur : Ueber den historischen Charakter des Drama, p. 41 seq.

varias interpretum sententias et meum qualecunque de iis judicium, ubi copia erit, conferendi.

Quae veteres ipsi de Philocteta alius aliter tradiderunt, ea Wunderus diligenter retulit et via atque ordine explicavit (1), quamobrem his enarrandis nunc quidem supersedere licet.

Πρόλογος.

Vs. 1.—vs. 134.

Scena repraesentat locum ad littus maris in insula Lemmo situm, rupibus impletum, inter quas eminet spelunca illa pervia, biforis, ubi Philocteta per plures annos degerat.

Quum tota fabula a tribus agatur histrionibus, quem morem primus Sophocles induxerat (2), horum πρωταγωνιστής Philoctetae, δευτεραγωνιστής Neoptolemi, τριταγωνιστής denique, mutatis vicibus, Ulyssis, nautae, Herculis partes agunt. His nautarum Graecorum chorus additus est.

Primus inducitur Ulysses alloquens Neoptole-

(1) Cffr. Dicaearchus Messenius in vita Aeschyli apud Robortellum; Arist. Poet. IV. 16; vita Soph.; Diog. Laert. III. 56; Suidas, v. Σοφοκλῆς et τριταγωνιστής; schol. ad Demosth. de falsa leg. e cod. Bavar. II. p. 74. Ed. Reiske.

(2) Sophoclem secutus erat Aeschylus post Olymp. 78, 1, A. C. 464.

mum, quem docet, insulam ad quam appulerunt esse Lemnum, desertam atque incultam; hic se regum jussu exposuisse quondam Philoctetam, Poeantis filium, Maliensem, qui, horrendo accepto vulnere, ex quo foeda sanies manaret, sacrorum particeps esse non posset, quum diris clamoribus totum exercitum turbaret. Jam Neoptolemo mandat, ut, ubi sit spelunca illa et juxta eam fons, inquirat ac sibi renunciet, num hunc locum adhuc habitet Philocteta. Neoptolemo rem mandat, ne ipse, si perscrutetur loca, a Philocteta conspiciatur et ita omnis dolus, quo eum se capturum sperat, irritus fiat.

Statim Neoptolemus antrum se conspicere ait, additque vacuum esse, foliis stratum, nec quidquam amplius ibi inveniri nisi vasculum rudi ligno factum, igniaria (1), pannos denique, gravis morbi indicia ostendentes.

Jam Ulysses certus hanc Philoctetae esse habitationem, Neoptolemum jubet aliquem speculatum emittere, ne ille colloquentibus ipsis superveniat; deinde eum hortatur, ut fortis sit non solum ad agendum, sed etiam ad audiendum quae prius numquam

(1) Graece πυρεῖα, h. e. secundum Herm. ad h. l., silices ad ignem eliciendum et accensi ignis reliquiae, ut carbones, silices.

audiverit. Mirantem Neoptolemum, quid illud sit, Ulysses, missis ambagibus, necessarium esse monet, ut Philoctetam dolosis verbis decipiat: Achillis filium se profiteatur, et relicto exercitu Graecorum, domum se navigare fingat, quoniam sibi precibus arcessito ad Ilium oppugnandum arma Achillis denegata sint et Ulyssi data. Talibus dolis docet efficiendum esse, ut Philoctetae telis potiatur, sine quibus Trojam capi ab ipso non posse. Neoptolemo autem Philoctetam facile fidem habiturum esse, quia neque jurejurando adstrictus neque vi coactus militaret neque priori expeditioni, in qua expositus erat Philocteta, interfuisset. Itaque callide id agendum esse, ut invictis Philoctetae telis clam potiatur. Ceterum non ignorare se fatetur, Neoptolemum ad ejusmodi malas fraudes natura non esse aptum, at suavem esse partam victoriam. Nunc audendum esse, postea justitiam colendam. Itaque paullisper tantum se ipsi dedat; in posterum faciat, ut mortalium honestissimus praedicetur.

Ad haec Neoptolemus indignatus, ut par est, respondet, se dolere, quod talia verba ex Ulyssis ore audiverit, quae exsequi sibi ducat religioni; neque se neque patrem suum talibus perpetrandis natura aptos esse; velle se vi hominem abducere, non

dolo. Quamvis autem metuat, ne negato auxilio proditor habeatur, tamen malle se honeste agentem excidere voto, quam per dedecus eo potiri. Praeclara verba, generosi herois filio dignissima (1)!

Ad haec Ulysses se quoque juvenem lingua tardum, promtum manu fuisse affirmat, nunc vero usu edoctum esse, verbis, non factis mortales regi. Ostendit per vim non posse capi Philoctetam ob sagittas quas habeat inevitabiles; quod si lucrum ostendatur, nihil esse recusandum. Interroganti Neoptolemo, quid sibi lucri, abducto ad Trojam Philocteta, futurum sit, respondet, his tantum armis Trojam captum iri; sine his Neoptolemum nihil profecturum.

Jam adolescens, gloriae cupidine abreptus, speciosis illius rationibus cedere incipit; mox ubi Ulysses et sapientem et fortem eum praedicatum iri, si ea exsecutus fuerit, asseveravit, exclamat se, pudore deposito, facturum quae Ulysses praeceperit. Ulysses, voti compos factus, ad navem se reverti dicit; si autem longior sibi esse videatur rei mora, speculatorem

(1) Consentanea haec sunt Achillis verbis, quae apposite laudat scholiasta; Iliad. X. 312, seq. :

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὃς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζῃ.

remissurum simulato naucleri habitu, qui sermone suo Neoptolemi consiliis inserviat. Hinc, invocatis Mercurio Δολίῳ (1) et Victrice Minerva, Ulysses abit, Neoptolemo difficile munus peragendum relinquens.

Egregia arte totus hic prologus a poeta compositus est. Exemplo Homeri statim in medias res spectatores rapit, nec, quemadmodum Euripides solet, longiore prooemio fabulae argumentum edocet. Inducuntur autem duo viri, ambo nobilissimi, sed aetate, indole, moribus plane dissimiles; alter aetate maturus, imprimis autem *δολόμητις* et *πολύτροπος*, qui, ut *πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω*, ita mature intellexit, non armorum vi, sed lingua, dolo, fraude facillime superari homines et proposita effici posse; alter juvenis, nulla dum experientia edoctus, generosa indole, qui fraudem abhorret, ad vim et arma paratus.

Haud facile sane negotium erat ferocem juvenem ad fraudem pellicere. Vidimus tamen, quomodo Ulysses, partim gloriae partim necessitatis specie praetexta, pervicacem Neoptolemi animum vicerit.

(1) *Callidum, quidquid placuit, jocoso condere furto* vocat eum Horat. Carm. I. 1, 18.

Hoc tamen mirum videri possit, consilium, quo iter in Lemnum susceptum est, post adventum demum in hanc insulam ab Ulysse cum Neoptolemo communicari. At si hic prius omnia cognita habuisset, profecto Philoctetam dolo aggredi recusasset.

Hic autem commemoranda est opinio viri eruditi, quocum nonnullos etiam recentiorum consentientes video. Scriptorem dico Francogallum, Brumoy (1), qui vixit Ludovici XIV temporibus. Hic in Ulysse eam sibi peritiam agnoscere visus est, qua insignes sunt homines πολιτικοί, qui nullis parcentes fallaciis et fraudibus, populorum res ad suam voluntatem suumque commodum administrant (*politiques jusqu' à la fraude*). Jam in prima scena cernitur, judice illo, sollertia talis hominis, qui omnibus modis juvenem regio sanguine ortum (*un jeune prince*) ad suam perducere tentat sententiam. „En," inquit, „praeclaram illam regum artem et ingenui pectoris „magnanimitatem secum luctantes." (*C'est le grand art des rois et la grandeur d'âme, qu'on voit lutter ensemble*).

Atqui negamus, ex iis, quae Sophocles Ulyssem

(1) Théatre des Grecs, traduit par le père Brumoy. 2e édit., revue par Raoul-Rochette. Tom. 4. Paris 1826.

agentem fingit, talem artem ei tribui posse. Nusquam ejus astutia cernitur in *regendis populis*, quibus praeest. Nusquam vel praesentem vel futurum populorum statum et conditionem dirigit ad suum nutum vel mutat. Illo vero saeculo, quo ipse Rex Ludovicus XIV perfidiae subditis suis exemplum erat, ante quem jam Richelieu et Mazarinus perniciosam illam artem (*le grand art des princes*, ut appellat Brumoy) ad perfectionem adduxerant, talibus, inquam, temporibus facile quis falsam speciem pro vera virtute amplecti potuit. Nec mirum profecto, siquidem nostra etiam aetate Talleyrandos, Metternichios, Palmerstonos summis laudibus a multis ornari videmus. At non debebat vir, antiquarum litterarum succo nutritus, praejudicata opinione abripi se pati. Recentiore tamen tempore Bernhardius (1) sententiam illam e tenebris, in quibus jacebat, eruit et commendavit. Hic enim censet, Ulyssi in toto Philoctetae dramate eam tribui indolem, quam in prima scena fabulae Ajacis ostendisset, viri πολιτικοῦ (*die des Staatsmannes*).

Videamus igitur, qualem in ea scena se gerat Ulys-

(1) Ueber den Philoctet des Sophocles. Von F. A. Bernhardi. 2 Aufl. Berlin 1825.

ses. Speculatur circa tentorium Ajacis; Minerva, benevolo animo eum prosecuta :

Ἀεὶ μὲν, inquit, ὦ παῖ Λαρτίου, δέδορκά σε
πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον (1) κ. τ. λ.

Deinde rogat eum, quid velit; huic ille nocturnam ovium trucidationem narrat; addit omnes Graecos culpam conferre in Ajacem, nihil tamen certi esse; se igitur, hominis cujusdam narratione adductum, qui Ajacem cum cruento gladio circumvagantem vidisset, nunc ipsum speculatum exiisse. Tum Minerva eum docet, quid Ajaci propositum fuerit; se vero visu eum orbasse, quo furor ejus in greges verteretur. Jam Dea ostendere Ajacem vult Ulyssi, ut omnes Graecos ejus rei certiores faciat; sed ille recusat; urgente tamen Dea et dicente, se nubem Ajacis oculis objecturam, tandem cedit. Postquam autem Ajacem, misera insania correptum, scelere suo gestientem videt, interrogatus a Minerva, intelligatne, quanta sit immortalium vis ac potestas, memorabilia haec verba respondet :

(1) Structuram horum verborum contra Lobeckium recte explicavit E. Wunderus, quem cfr. ad h. l. (v. 1.) et in Censura Edit. Lobeckii sec. pag. 2 seqq.

ἐγὼ μὲν οὐδὲν οἶδ᾽· ἐποικτείρω δέ νιν
δύστηνον ὄντα, καίπερ ὄντα δυσμενῆ, κ. τ. λ.

Quid πολιτικόν in his omnibus inveniri potest? Nullum publicum gerens munus, a nullo rege vel duce missus, Ulysses exit, ut suae ipsius saluti consulat et contra vim inimicissimi hominis se ipsum tueatur. Num illo loco Ulysses diversus est ab eo, quem aliunde cognovimus?

Deinde timiditas, quam Minerva Ulyssi exprobrat, vix conciliari potest cum persona viri πολιτικοῦ (*die Seite eines Staatsmannes*). Quam tamen fortissimo heroi non probro vertendam esse jam animadvertit Scholiasta ad v. 75 et 82, ostendens, non sane ignaviam ejus perstringere voluisse poetam, id quod parum conveniens fuisset tragoediae dignitati, sed Ulyssem cautum se gerere, quum prudentis sit insano inimici furori non temere se objicere. Talis autem prudentia in naturam Ulyssis optime videtur quadrare, nec minus bene cum fortitudine, qua alias insignis fuit, conciliari. Ipsum audiamus, quae dicat Phil. vs. 1031 seqq.:

Οὗ γὰρ τοιούτων δεῖ, τοιοῦτος εἰμ᾽ ἐγώ·
χὤπου δικαίων κἀγαθῶν ἀνδρῶν κρίσις,

οὐκ ἂν λάβοις μου μᾶλλον οὐδὲν εὐσεβῆ·
νικᾶν γε μέντοι πανταχοῦ χρῄζων ἔφυν.

Vs. 109, non turpe putat mentiri, si

τὸ σωθῆναί γε τὸ ψεῦδος φέρει.

Vs. 111 dicit :

ὅταν τι δρᾷς εἰς κέρδος, οὐκ ὀκνεῖν πρέπει.

Postrema haec mirifice confirmant, quae de Ulysse diximus. Quidquid facit, suae facit utilitatis caussa, quam etiam tum non negligit, ubi omnium Graecorum causam tueri conatur.

Ulyssem igitur callidum, versutum, providum hominem eundemque fortem bellatorem jure dixeris; at artem illam, qualis cernitur in recentioribus civitatum rectoribus, e nullo antiquorum testimonio ei tribui, imo ne potuisse quidem tribui certum est.

Sed redeamus eo, unde devertimus.

Πάροδος.

Vs. 135.—vs. 216.

Postquam abiit Ulysses, accedit chorus, quem ab initio fabulae Ulyssis Neoptolemique colloquio non interfuisse probant ejus verba, vs. 105 sq. :

Τί χρὴ, τί χρή με, δέσποτ', ἐν ξένᾳ ξένον

στέγειν, κ. τ. λ. (1);

Quum vero chori introitus nulla vestigia appareant, chorus putandus est ab initio adfuisse quidem in scena, ita tamen ut ab actoribus remotus staret.

Quaerit autem chorus e Neoptolemo, duce suo, quid sibi peregrino in peregrina terra faciendum quidve dicendum sit viro suspicaci, Philoctetam intelligens. Neoptolemus eos, si forte velint speluncam Philoctetae inspicere, jubet introire, modo sibi ad manum sint, quum ille redierit; dein quaerenti, ubi locus ille sit, monstrat antrum, addens, Philoctetam fortasse ad victum quaerendum exiisse, quippe qui feras venando miseram vitam degat nec quemquam malorum suorum medicum reperire possit.

His auditis, chorus commiseratur hominem, qui, nullo adjuvante, omni convictu mortalium carens, solus, miser saevo morbo laboret; miratur, eum tantas miserias durare posse; hunc, nullo certe nobilium minorem, ita omnium rerum expertem jacere, remotum ab omnibus, exceptis feris, fame et doloribus cruciatum, mala non ferenda patientem, dum echo e longinquo lamenta ei remittat.

(1) Quomodo Wunderus id vel e Neoptolemi verbis vss. 144 seqq. intelligi dicat, non assequor.

Ad haec Neoptolemus mala illa divinitus ei immissa sibi videri dicit: morbo eum hoc laborare providentia Deorum, ne prius invictis suis sagittis utatur adversus Trojanos, quam destinatum urbis excidio tempus advenerit (1).

Hinc chorus significat se audire gemitum hominis aegri advenientis, jamque manifesto ejus vocem agnoscere; mox jubet Neoptolemum cavere, quum Philocteta appropinquet, non ut pastor fistulae cantu gaudens, sed gravem clamorem tollens.

Praeclare totum hoc carmen a poeta compositum est. Etenim ne Philocteta in scenam proditurus tetro habitu horrorem incuteret, primum ipse Neo-

(1) Bene attendenda sunt, quae N. hic dicit. Inde enim patet, in hac quoque tragoedia fato sive divini numinis moderationi magnam illam vim a poeta tribui, quae in aliis fabulis, imprimis in Oedipo Rege agnoscitur. Huc facit etiam, quod Sophocles non in Tenedo vel Imbro, ut vulgo tradebatur, sed in parva insula Chryse, Lemno vicina Chrysaeque nymphae sacra, quae qualis fuerit non exponitur, Philoctetam vulneratum finxit. Tum etiam anguem, vulneris auctorem, Deae sacrum fuisse ejusque sacellam custodientem proponit, quapropter vulnus, ab ὠμόφρονι Χρύσῃ immissum, iterato κὴρ dicitur. Neque causam, ob quam morsus fuerit Ph., usquam tangit poeta, quo magis persuadeatur spectatoribus, obscuram fati vim hic quoque obtinere. Quanto magis igitur culpa vacat Philocteta, tanto certior nostra est commiseratio, tanto justius implacabile ejus in Atridas et Ulyssem odium.

ptolemus, ab Ulysse jussus, miseram ejus habitationem exploravit; deinde ipsum monstrat choro, qui, ut eum adspexit, gravi afficitur misericordia. Ita fit, ut animi spectatorum pedetentim ad triste spectaculum praeparentur.

ΕΠΕΙΣΟΔΙΟΝ Α'.

Vs. 217.—vs. 667.

Prodit in scenam Philoctetes. Peregrinos homines conspicatus, statim exclamat; quaerit, qui et unde sint; videtur sibi Graecum agnoscere habitum; orat, ne se, fero adspectu perterriti, aversantes refugiant; respondere cunctantibus instat, ut loquantur. Graecos esse ut e Neoptolemo comperit, exclamat, tale alloquium post tam longum tempus magno sibi esse gaudio.

Deinde Neoptolemus eum docet, se Scyro oriundum patre natum Achille, a Troja huc esse delatum. Miratus Philoctetes, quod eum in prima expeditione non viderit, quaerit, an se non noverit. Quod ut negavit Neoptolemus, multa lamentatur senex, quod ne fama quidem sui infortunii in Graeciam pervenerit. Odio Atridarum et Ulyssis incensus, narrat, se esse Poeantis illum filium Philoctetam, quem ambo reges

et Ulysses saevo morbo e serpentis morsu contracto laborantem in hac insula solum reliquerint; narrat, ut sagittarum ope aves occiderit et humi repens cibum et potum sibi quaesiverit; hieme autem multo cum labore lignum conquisiverit et scintilla e silice excussa ignem sibi paraverit. Insulam autem prorsus esse desertam, et si qui forte eo appulissent, hos abducere se noluisse. Postremo, ut simili aliquando poena Atridae et Ulysses a Diis Olympiis afficiantur, orat.

Jam Neoptolemus, difficiliorem mandati partem exsecuturus, se quoque ab Atridis et Ulysse contumelia affectum narrat. Ubi vero Achillem patrem periisse memorat, interpellat eum Philocteta, quasi auribus suis credere nequeat; quumque Neoptolemus id affirmasset, dubius haeret, utrum Neoptolemi fata porro sciscitaturus an prius patrem illius deploraturus sit. En imago animi magni et generosi, qui suas aerumnas oblitus, amicorum malis contemplandis plorandisque detinetur!

Pergit Neoptolemus sollerti ratione jussis Ulyssis obsequi. Narrat, se ab Ulysse et Phoenice, Achillis educatore (1), ex insula Scyro Trojam arcessitum

(1) Phoenicem in Scyrum missum ad Neoptolemum arces-

esse, dictitantibus, mortuo patre Achille, nonnisi ab ipso Trojam capi posse. Quo quum advenisset, a toto Graecorum exercitu circumfuso amantissime esse exceptum, jurantibus mortuum Achillem in filio revixisse (1). Quum autem, illacrymato patre, arma et quae praeterea reliquisset, ab Atridis poposcisset, arma Ulyssi esse data se cognovisse; quo audito gravi ira commotum universis Graecis mala esse imprecatum; ad haec Ulyssem respondisse, id justum esse, quia Neoptolemus non cum ceteris Graecis ad Trojam pugnasset, et, quoniam ignaviae adderet audaciam, nunquam eum arma Scyrum reportaturum. Talibus conviciis lacessitum se domum reverti, spoliatum suis rebus a pessimo omnium Graecorum, Ulysse; maximam tamen culpae partem imperatoribus tribuendam esse;

cendum memorat Philostr. Jun. Imag. I. : Λογίου ἐς τοὺς Ἕλληνας ἐμπεσόντος, ὡς οὐκ ἄλλῳ τῳ ἁλωτὸς ἔσοιτο ἡ Τροία πλὴν τοῖς Αἰακιδαῖς, στέλλεται ὁ Φοῖνιξ ἐς τὴν Σκῦρον ἀνάξων τὸν παῖδα. quam rem Philostratus Sophoclis tragoediae Δολόπων argumentum fuisse tradit.

(1) Pulchre et naturae convenienter hoc versu pingi mortui Achillis desiderium conspectu filii patris simillimi excitatum, recte animadvertit Gedikius, qui confert versum a Plutarcho servatum : οὐ παῖς Ἀχιλλέως, ἀλλ' ἐκεῖνος αὐτὸς εἶ. Philostratus Heroic. c. 19. p. 865. Ed. Ol. pingit Neoptolemum καλὸν καὶ προσεοικότα πατρί. Vid. etiam Philostr. Jun. Imag. I. Tryphiod. v. 53 seq. Q. Smyrnaeus (Calaber) passim.

populos enim a regum arbitrio pendere. Postremo, quo magis sibi conciliet Philoctetae animum, affirmat et sibi et Diis amicum fore quicumque oderit Atridas.

ΥΠΌΡΧΗΜΑ (1).

Vs. 388.—vs. 397.

Στροφή.

In priore carminis parte, (cui respondet altera v. 502—510) chorus invocat Rheam, Jovis matrem, olim quoque a se invocatam, quum Neoptolemo injuria inferretur ab Atridis paterna illius arma ut virtutis praemium Ulyssi tradentibus.

Haec autem ἡμιχορίου verba eo valent, ut Philoctetae magis etiam persuadeatur, Neoptolemum vera ipsi narrasse Atridasque magno odio prosequi; id quod confirmant ea, quae Philocteta deinceps dicit. Testatur enim, Neoptolemum cum sociis manifestum sibi doloris indicium exhibuisse et jure arbitrari,

(1) Hoc carmen στάσιμον dici non posse ex argumento, quocum metrum concinit, colligi potest: effervescentem enim chori motum exprimit, quod a στασίμῳ alienum est.

Ceterum inde a labentis demum Atheniensium reipublicae temporibus Rhea (Mater Idaea, Magna Mater), cujus cultus e Creta oriundus fuit, cum Cybele, quam in Lydia et Phrygia imprimis venerabantur, et cum Terra (Γᾷ) confundi coepta est.

ab Ulysse et Atridis hanc injuriam esse profectam. Qui tamen id praesente Ajace, Telamonis filio, fieri potuerit, miratur. Mox ut hunc etiam mortuum esse audivit, acerbe exclamat: 〃At non mortui sunt nimi-〃rum Tydei filius neque a Sisypho ortus Laertiades! 〃Hos sane vivere non oportebat." Affirmante Neoptolemo, vivere eos et magna gratia in exercitu Graecorum florere, quaerit porro, quomodo Nestor se habeat; Neoptolemus respondet, eum Antilocho filio orbatum esse.

Tristes illi nuncii animum Philoctetae exacerbant et odium ejus in Atridas et Ulyssem irritant. Postquam autem Patroclum quoque interfectum, Thersiten vero, vilissimum hominem, in vivis esse cognovit, vehementer queritur de injustitia Deorum, qui malos et versutos homines in vita retineant, probos ac justos ocius ad inferos mittant.

His auditis, Neoptolemus dicit se Scyrum velle discedere, ubi in reliquum tempus mansurus sit, jamque abire parat ac Philoctetae valedicit, precatus, ut Dii eum sanent.

Callide nimirum id simulat, ne, si ultro Philoctetae secum abeundi potestatem offerret, hic in suspicionem aliquam fraudis veniret. Immo Philoctetae exorandus erat Neoptolemus, ut eo majore beneficium ejus ha-

beret pretio. Nec eventus opinionem ejus fefellit. Philoctetes enim, cui haec occasio salutis petendae exoptatissima videri debebat, supplicat Neoptolemo per patrem ac matrem et quodcumque ipsi carum sit, ne se solum his miseriis, quas videt et audit, conflictatum deserat; non ignorare quidem se, quam grave sit illud onus, at generosi esse viri quod turpe est odisse, quod honestum sequi; unius tantum diei esse molestiam; audeat hanc suscipere Neoptolemus; conjiciat ipsum in navis partem quamcunque velit, ubi reliquis non futurus sit oneri. Orat, ut se vel domum vel in Euboeam vehat, unde non longum ad Oetam iter; reddat se patri, quem dudum, ne mortuus sit, metuit; nam saepe jam per advenas, qui ad Lemnum appulissent, nuncios patri misisse, ut se domum reduceret, sed aut mortuum eum esse aut nuncios illos, ut solet, spreto ipsius mandato, domum properasse. Nunc Neoptolemo supplicare, ut se servet, sui misereatur, reputans, quam incerta sit fortuna, et quam periculosae res mortalium, quum modo secundis rebus floreant, modo adversis affligantur.

Ἀντιστροφή.

In altera hac carminis parte alterum ἡμιχόριον,

sive Neoptolemo inserviens sive, quod mihi potius videtur, immemor fraudis, quam parum accurate meditatus erat, sincera fide eum ad miserationem hortatur propter mala, quibus conflictatur Philoctetes. Si Neoptolemus Atridas odio habeat, nunc illorum ultionem in hujus lucrum convertat eumque domum reducat: ita effugiant Deorum vindictam, quae eos manet, qui supplicis preces repudiaverint.

Ad haec Neoptolemus, quasi precibus illis gravatus et haesitans, monet chorum cavere, ne, si nunc justo facilius concesserit, postea ipsos taedio morbi affectos facti poeniteat. Quum chorus nunquam id fore asseveratione affirmasset, victus tandem Neoptolemus ad proficiscendum paratum se dicit et Philoctetam reducturum. Quo ille audito laetitia exsultat, quod post tot annorum labores inexspectato liberabitur eo malo, quo maxime cruciari se queritur, solitudine.

Carissimum vocat hunc diem, dulcissimum mortalium Neoptolemum, amicos ejus comites; nescit, quomodo gratum iis animum sit testaturus. „Eamus," in„quit, o fili! quum prius tecum salutavero domum in„habitabilem, ut, quam fortiter istam vitam tolerave„rim, cognoscas. Puto enim, ne adspectum quidem hu„jus loci quemquam praeter me facile sustinere posse."

Ita, nullo obstante impedimento, tota res ex sententia succedit; sed Ulysses, festinandi ardore abreptus, quum tempus longius ei teri videretur et Neoptolemi consilia maturare vellet, eo ipso rem perdit. Namque, quum jam in eo est, ut abeant, subito chorus subsistere jubet; quippe appropinquare duos homines, alterum ἔμπορον sive Neoptolemi nautam, peregrinum alterum.

Ἔμπορος ille est idem minister, qui ante speculatoris partes egerat, vs. 127, sq., quem nunc naucleri habitu mittit Ulysses, tanquam fortuito ad Lemni oras delatum. Fingit se esse e numero eorum hominum, qui Graecis frumentum et vina ex insulis vicinis subvectare solerent; verisimilitudinis caussa unum e sociis Neoptolemi, qui custodiendae navis caussa ad littus remanserant, tanquam viae indicem secum ducit (1).

Mercator igitur, Neoptolemum allocutus, hunc se

(1) Hunc Neoptolemus vocat ξυνέμπορον h. e. *comitem*, antiqua illa significatione, qua ἔμπορος *vectorem*, *nautam* significat. Cfr. Homerus Od. II. 319; XXIV. 300. Aeschyl. Choeph. v. 650. Soph. Trachin. v. 318; Plato Phaedr. p. 108. B. Alter autem ille personatus nauclerus ἔμπορος vulgata *mercatoris* significatione vocatur, non ipsius poetae verbis, sed in dramatis schematismo. Haec a Buttmanno monita praecipienda esse existimavi, ut ne sequentia essent obscuriora.

quaerere dicit; navigantem enim ab Ilio in patriam Peparethum, quum ad Lemnum appulisset ibique a nautis audiisset comites esse Neoptolemi; visum esse sibi non ante discedere, quam cum eo communicasset, quae de eo nuper Graeci inierant consilia, nec consilia tantum, sed etiam incepta, etsi nondum effectum assecuta.

Promisso ei praemio, narrat, Phoenicem et Thesei filios (1) profectos esse cum navibus, ut Neoptolemum persequantur. Interrogatus autem, quidni Ulysses ad id paratum se ostendisset, respondet, hunc una cum Diomede ad alium quendam quaerendum iter parasse, quum ipse jam vela ventis daret. Neoptolemo percontanti, quis ille sit, mercator, simulans se coram pluribus id eloqui non audere, petit, ut Neoptolemus submissa voce sibi indicet, quis sit qui cum eo est. Ubi Philoctetam esse cognovit, ad maturandam fugam hortatur Neoptolemum. Jam Philocteta, qui ultima verba audivisse putandus est, suspicatur, ut fert rei natura, nau-

(1) Schol. Ἄκαμας καὶ Δημοφῶν, ὧν οὐ Ὁμέμνηται μηρος ἐν τῷ καταλόγῳ. Utriusque mentio fit a Tryphiod. v. 176; Q. Calab. XIII, 536; Acamantis a Virg. Aen. II, 263 et Q. Calaq. IV. 431. Homerus Menestheum ducem Atheniensium ad Trojam facit. Memorati sunt etiam ab Arctino Milesio in Ἰλίου πέρσει. De Sophocle Cyclicos poetas secuto vid. Lobeck. ad Ajac. v. 70.

clerum mali quid adversus se struere; itaque quaerit a Neoptolemo, quid sibi velit is, qui ita obscure cum ipso loquatur. Tum Neoptolemus nauclerum clare rem dicere jubet. Hic autem, praecepta Ulyssis optime secutus, magnum periculum a Graecis timere se fingit, nec prius proloquitur, quam Neoptolemus, Atridis se inimicum, Philoctetam autem sibi amicissimum esse affirmans, iterum eum adhortatus sit. Ita tandem aperit, Ulyssem et Diomedem navi profectos esse, juratos, se aut vi aut persuasione Philoctetam reducturos, idque Ulyssem, audiente toto exercitu, pollicitum esse.

Miratur Neoptolemus, quid sit quod Atridae, quem olim ejecerint, eum nunc arcessi jubeant. Jam nauclerus uberius enarrat, qua caussa Graeci ad id faciendum adducti sint. Fuisse nobilem vatem, Priami filium, Helenum nomine, quem versutus ille et merito omnibus exsecrandus Ulysses, nocte solus e castris egressus, ceperit vinctumque exercitui ostenderit. Hunc praeter alia etiam hoc Graecis esse vaticinatum, nunquam fore, ut Ilium expugnari posset, nisi prius Philoctetae persuasissent (1), ut ad exercitum reverteretur. Ad haec Ulyssem statim

(1) Heleni vaticinium jusserat Ulyssem λόγῳ πεῖσαι Philoctetam, quod magni videtur esse momenti; sanationis nulla fit

pollicitum esse, se hominem reducturum sive volentem sive coactum, atque vel caput suum abscindendum permisisse, si promissa non perfecisset. Hanc ob rem suadet iis, ut festinent.

Agnoscimus, quam artificiose et adventus naucleri et simulata ejus narratio ita comparata sint, ut Philocteta fidem ei negare non possit. Itaque vehementi indignatione commotus exclamat : „Me miserum! Mene ab Ulysse ad revisenda Graecorum „castra abductum iri? aeque id futurum credo, at„que ab inferis me post mortem rediturum, quem„admodum patrem illius (1)."

Deinde, postquam mercator, fausta iis precatus, ad navem suam discessit, Philocteta rursus odio in Ulyssem indulget: potius se detestandae viperae, quae tam foede se vulnerasset, obtemperaturum, quam Ulyssi obsequatur. Hortatur igitur Neoptolemum ad proficiscendum, ut longo maris tractu

mentio. Ulysses tamen ad fraudem confugit, imo vel ad vim recurrere audet; eam ab caussam male rem gereret, necesse erat.

(1) Fabulam spectat poeta, Sisyphum morientem uxori mandasse, ut se ne sepeliret; id deinde questum apud inferos, quum impetrasset, ut sibi vindictam sumere liceret, in terram rediisse; deinde nonnisi vi in Orcum esse reductum. Cfr. Schol. ad h. l. Theogn. v. 521. Ed. Brunck.; Schol. ad Iliad. VI, 153; Pherec. fr. 41 (p. 178 Ed. II. Sturz.).

ab Ulysse sejungantur; opportunam enim festinationem, exacto labore, requiem afferre. Neoptolemus eum monet, ventum esse contrarium. Nihilo secius Philocteta proficisci urget; secundam esse quamlibet navigationem, qua quis mala effugiat. Talibus rationibus cedens Neoptolemus ire decernit, si Philocteta prius res suas ex antro abstulerit. Hic esse ibi dicit folia quaedam, quorum ope vulneris dolorem mitigaret; item si quid, quod ad arcum pertineat, relictum sit, id asportare velle. Quod hic de arcu mentionem injicit, attentum facit Neoptolemum, dataque ita opportunitate quaerit, num hic sit inclytus ille arcus, quem manu tenet, petitque ut sibi eum in manus sumere et venerari tanquam deum liceat. Libenter hoc illi concedit Philocteta, quippe cui uni hoc debeat, ut Oetaeam terram patremque senem et amicos sit revisurus et ab inimicorum odio incolumis futurus. Licere ergo Neoptolemo arcum in manus sumere atque gloriari, quod solus omnium mortalium ob virtutem suam hunc contrectaverit. Orante deinde Philocteta, ut in antrum se comitetur, paratum se ostendit Neoptolemus: amici enim esse beneficium pro beneficio reddere. Hinc ambo antrum introeunt.

ΣΤΆΣΙΜΟΝ Α′

Vs. 668.—vs. 713.

Στροφή α′.

Chorus ex iis, quae audivit et vidit, misericordia motus, aerumnosam Philoctetae sortem deplorat. „Fando quidem," inquit, „audivi, quo cru„deli supplicio Ixionem ad Jovis thalamum accede„re ausum Saturnius affecerit, quum eum circum„actae rotae illigarit; praeter illum vero neminem „nec audivi nec adspexi mortalium, cui durius fa„tum evenerit quam Philoctetae, qui, nulla cuiquam „illata injuria, immeritus cruciatur." Miratur, quomodo tristem illam solitudinem et lacrymosum victum tolerare potuerit.

'Αντιστροφή α′ (1).

Solus quippe erat insulae incola, incedendi facultate destitutus neque vicini cujusquam gaudens societate, apud quem miserias suas conquereretur vel qui diros vulnerati pedis dolores et sanguinis fluxum, si inci-

(1) Vulgatam scripturam, quamvis aperte vitiosam, in enarrando, sicut potui, exprimere studui; certa medela nulla in promptu est.

deret, salutaribus herbis sedaret. Quando autem dolor remisisset, oberrabat ut infans nutrice destitutus, undique malorum levamen quaerens.

Στροφὴ β'.

Porro terrae frugibus ceteroque humano victu carens, volucres tantum sagittarum ope venando famem sedare, et sitim levare non dulci vino, sed stagnantis aquae haustu per decennium debuit.

'Αντιστροφὴ β'.

His miseriis chorus opponit laetam sortis commutationem, quod nunc, magnanimum juvenem nactus amicum, felix et potens e malis illis emersurus sit, Philocteta postquam ab eo in patriam fuerit reductus ad Sperchei ripas, unde Hercules, quondam ad Deos sublatus, coelesti luce splendet (1).

'ΕΠΕΙΣΟΔΙΟΝ Β'.

Vs. 714—vs. 810.

Jam Neoptolemus et Philoctetes in scenam redeunt. Hortante illo, ut ad navem tendant, hic, quum jam in eo est, ut votorum compos fiat, subito vulneris dolore affici se sentit, sed vel sic tamen nihil quere-

(1) Videtur poeta hoc loco mentione Herculis inferenda interventum ejus, qui in extrema fabula locum habet, praeparare.

larum edit. Non tamen potest repentinam oris habitusque mutationem occultare; quam animadvertens Neoptolemus miratur, quid ita attonitus stupeat. Philocteta nihil nisi gemitus edit; ille instat; quid tandem sit, rogitat; alter morbum dissimulans, nil mali sibi esse dicit, metuens nempe, ne Neoptolemus atrocium vulneris dolorum horrore percussus, ipsum secum abducere gravetur.

Ingravescentem tamen doloris vim dissimulare omplius nequit; perire se exclamat, orat Neoptolemum, ut, si gladius ad manum sit, pedem abscindere sibi velit; subinde in horrendos ejulatus, vulneris cruciatu expressos, erumpit (1).

Interroganti Neoptolemo, numquid sublevare eum possit, arcum suum custodiendum tradit; solere enim se, morbo remisso, salutari somno corripi; simul mandat ei, ne Ulyssi vel Diomedi, si forte interea superveniant, vel sponte vel coactus eum tradat.

Usitata Tragicis ambiguitate — Philoctetes enim putat haec dici ab amico, qui arcum pro se custoditurus esset; spectatores vero ovantem vident Neo-

(1) De crebra illa, qua utitur, exclamatione, ἀπαππαπαῖ etc. Hermannus, „aptissime," inquit, „illa crebra repetitio litterae π palpitationem oris et maxillarum, quae hujusmodi dolorum propria est, exprimit."

ptolemum, quod arcu sit potitus — ambiguís igitur verbis Neoptolemus eum jubet bono esse animo: nulli praeterquam sibi et Philoctetae arcum traditum iri affirmat. Ita accepto arcu, Neoptolemus a Philocteta admonitus Deos precatur, ut secundam sibi praebeant navigationem eo, quo Dii velint ipsique tendant; quae rursus ambigue dicta esse, cuivis apparet.

Sed jam Philoctetes morbi vim ingravescere sentit; sanguis ex imo pede prorumpit; hinc iterum iterumque gemitibus omnia miscet; imprecatur Ulyssi (1), ut similis dolor pectus ejus perfodiat; mortem denique invocat, querens eam, quamvis quotidie vocatam, nondum adesse; tandem Neoptolemum jubet se flammis comburere, cunctantemque sciscitatur, quid taceat? quid moliatur?

Breves hae et abruptae exclamationes egregie compositae sunt, ut vehemens, quo ille cruciatur, dolor

(1) Non sine convicio Ulysses hic et vs. 264, *Cephallen* dicitur a Philocteta; *Cephallenes* enim antiquissimis temporibus dicebantur omnes, qui insulas maris Jonii e regione Acarnaniae et Elidis incolebant, quarum maxima Samos posteriore demum aetate Cephallenia vocata est. Hi populi autem omnes mercaturae maximam dabant operam, quae antiquitus cum piratica semper conjuncta erat. Odiosum igitur *Cephallenis*, utpote *piratae*, cognomen Ulyssi a Philocteta datum. Cf. Buttmann. ad h. l.

spectatoribus repraesentetur. Respondente illo, dolere se ejus aerumnas, Philoctetes iterat, quod modo dixerat, morbum violenter quidem ingruere, sed cito abire solere; orat igitur eum, ne se solum relinquat; cui hic ambigue respondet, sine illo abire sibi nefas esse, et dextra data fidem praestat, quam ille satis habet. Mox tantis affligitur cruciatibus, ut ad insaniam adigi videatur, verbaque edat abrupta et brevia, quae a Neoptolemo non intelliguntur, putante, eum revera insanire. Cupere videtur, ut in antrum suum introducatur; quod tamen ex ejus verbis vix divinare illi licet. Dum autem Philoctetam rogantem dextra prehendit, ducturus, quo ille vellet, morbi vis augetur adeo, ut ne tangi quidem se sinat; deinde humi se projicit Terraeque supplicet, ut se moribundum excipiat. Dum sudor de corpore ejus destillat et sanies e venis effluit, mox somno sopitur exoptato; quare tranquillum eum sinere Neoptolemus comites suos jubet.

Vehementissima haec Philoctetae lamenta et fletus tribus eruditissimis viris ansam dederunt, ut sua quisque ratione de ea re animadversiones in medium proferrent, dignas illas, quas commemoremus, Winckelmannum dico, Lessingium, Herderum.

Horum primus, de imitandis Graecorum picturae et sculpturae operibus disserens (1), quum insignem et propriam illorum laudem posuisset in ingenua honestaque simplicitate ac placida majestate, cujus exemplum proponebat Laocoontis statuam, haec addit : „Laocoon dolorem patitur, at patitur sicut „(Sophoclis) Philoctetes, h. e. sicut vir fortissimus, „qui vincere dolorem conatur."

Haec Winckelmanni verba offenderunt Lessingium (2), cui primum illud quaerendum visum est, quomodo Philocteta miserias suas pati dicendus sit. „Lamenta," inquit, „clamores, imprecationes, quibus „olim exercitum impleverat et sacra turbaverat, nunc „non minus atrociter per insulam desertam persona- „bant. Horum magnam partem poeta in scena reprae- „sentavit. Vociferando corporis dolores manifestare „proprium ac naturale est hominibus. Apud Homerum „fortissimi duces, vulnerati, saepe vociferantes humi „procidunt. Venus levi vulnere tacta inducitur magna „voce ejulans, non ut hoc ejulatu mollis voluptatis

(1) Gedanken über die Nachahmung der Griechischen Werke in der Mahlerey und Bildhaukunst. Dresd. u. Leipz. 1754. p. 21 sqq.

(2) Laokoon oder über die Grenzen der Mahlerey und Poesie. 3e Aufl. Berlin 1805.

„Dea nobis pingatur, sed potius, ut naturae malo „affectae indulgeatur. Quin ipse Mars, ubi Diome„dis hasta percussum se sentit, exclamat tam hor„rendo modo, quasi decem millia militum simul vo„ciferentur, adeo ut ambo exercitus eo percellantur.

„Quamquam autem Homerus heroas suos supra „humanam evexit naturam, iidem tamen in sentiendis „doloribus iisque querela et clamore exprimendis „humanam naturam referunt. In rebus agendis homi„nibus celsiores, cetera vero sunt similes. Non ignoro „quidem," sic pergit Lessingius, „nos Europaeos, ut „ingeniis cultiores, ita oris et vultus magis esse com„potes. Non ita Graeci! Hi dolores et sollicitudi„nes actione et voce manifestabant; haud pudebat eos „humanae infirmitatis, ita tamen, ut propterea ab „honestate et officio non abducerentur."

Haec Lessingius, cui Winckelmannum respondisse non reperio; sed hujus sententiam mox persequi instituit Herderus (1). Hic e Graecorum sententia licitum quidem esse forti viro plorare concessit Lessingio, attamen de Philocteta Winckelmanni judicio assensus est. Primum ostendere studet, Phi-

(1) J. G. von Herder's Kritische Walder. Oder Betrachtungen über die Wissenschaft und Kunst des Schönen. Herausg. durch Heyne. 1es Wäldchen, Tübingen 1806.

loctetam dici non posse vociferatione dolores suos aperire; deinde heroes Homericos non prae dolore exclamasse nec lacrimasse docet. Et hac quidem in re Herderus non immerito obloqui Lessingio mihi videtur, etsi non omnia, quae attulit, exempla pro ipsius sententia faciunt. Argumento enim utitur Iliad. IV, 148 sqq., ubi proponitur Menelaus graviter vulneratus; hunc aeque ac Agamemnonem *cohorrescere* quidem dicit Herderus, non vero *exclamare*:

Ῥίγησεν δ' ἄρ' ἔπειτα ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων,
ὡς εἶδε μέλαν αἷμα καταῤῥέον ἐξ ὠτειλῆς·
ῥίγησεν δὲ καὶ αὐτὸς Ἀρηΐφιλος Μενέλαος.
ὡς δὲ ἴδε νεῦρόν τε καὶ ὄγκους ἐκτὸς ἐόντας,
ἄψοῤῥόν οἱ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀγέρθη.
τοῖς δὲ βαρὺ στενάχων μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων,
χεῖρας ἔχων Μενελάου, ἐπεστενάχοντο δ' ἑταῖροι.

Videndum vero, ne talis horror clamore sit multo vehementior, quum ita affecti clamorem edere vix queant. Atque verbum *ῥίγησεν* etiam fortius est, significat enim *horrendo rigescere.* Agamemnon autem, sinon exclamat, saltem *βαρὺ στενάχει.*

Porro Iliad. XIV, 409 sqq. Hector, saxo humi

prostratus, non exclamat sane, sed qui id facere potuisset? anima viresque eum deficiunt, ut patet e versu 436:

ὁ δ' ἀμπνύνθη καὶ ἀνέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν.

eumque βαρέα στενάχοντα (v. 432) amici asportant ad Xanthi ripas, ubi aqua conspersus oculos aperit, sed statim sanguinem evomens in humum recidit.

Multa porro luculenter disputat vir acutissimus, ut Graecorum non *proprium* fuisse clamorem ad dolores corporis exprimendos ostendat, sicut dixerat Lessingius, quem hac in re justo longius processisse, Herdero adstipulamur. Hic tamen in eo falsus est, quod Lessingii sententiam non juste est interpretatus, talem in modum explicans: in Sophoclis Philocteta clamore praesertim dolorem exprimi; clamorem igitur esse primarium adjumentum ad movendos spectatorum animos; quod si ita sit, corporei doloris imaginem esse praecipuum hujus dramatis argumentum (die Hauptidee). At Lessingius tantum memorabile esse dixerat, quod in paucis, quae nobis servatae sunt, tragoediis duae exstant, in quibus corporis dolores non minimam contineant partem laborum, quibus primaria dramatis persona conflictatur.

Errat praeterea Herderus, quum non clamore dolorem edere Philoctetam contendit. Recte vero hoc statuit Lessingius. Jam initio fabulae Philoctetae vociferationes caussam fuisse memorat Ulysses, ob quam ille olim in Lemno esset relictus. Herderus autem, ut suam tueatur sententiam, Ulyssem rem exaggerasse judicat. At ipse Philoctetes v. 276 Neoptolemo dicit, quales putet se lacrimas fudisse, quales gemitus edidisse; et v. 1430 seqq. valedicit monti, qui toties suos afflicti clamores reddidisset. Quid quod ipsum audimus ejulantem, quo tempore solitarium se esse putat. Chorus v. 200 seqq. audiri ait sonitum ut hominis graviter laborantis ac difficili ingressu aegre incedentis; percipi e longinquo vocem lamentantis, v. 205 seqq.:

οὐδέ με λά-
θει βαρεῖα τήλοθεν αὐ-
δὰ τρυσάνωρ· διάσημα θροεῖ γάρ. (1)

Qui tandem, his lectis, Herderus contendere potuit, vix infantis instar vagientem audiri Philoctetam?

(1) Pro θροεῖ L. Dindorfius conjecit θρηνεῖ; sensus tamen eodem redit.

Ab altera tamen parte recte contenditur, Philoctetam sic proponi, ut qui dolorem suum comprimat neque ei indulgeat. Quaeritur igitur, utrum poeta informare eum voluerit ut virum magnum, magno animo maximas tolerantem miserias, quae Winckelmanni est sententia, vel, ut Herdero illius opinionem amplificanti et paullum immutanti visum est, ut heroem, dolores quibus affligitur reprimentem, an, quae Lessingii sententia est, tanquam virum robustissimae quidem constantiae, qui in maximis malis animi altitudinem non amittat, nec tamen erubescat ut homo querelas effundere, dissimilis hac in re Herculi in Trachiniis, v. 1049—1054, dicenti :

Heu! virginali more ploratum edere,
Quem vidit nemo ullo ingemiscentem malo!
Sic feminata virtus afflicto occidit (1).

Omnibus perpensis, videtur nobis Philoctetes non proponi tanquam exemplum, quomodo corporis dolor sit tolerandus : reprimere quidem conatur dolorem, at propterea tantum, quia veretur ne, si indulgeat ei, quod alias facere solebat, molestus et odiosus sit

(1) Cic. Quaest. Tusc. II. 8.

Neoptolemo ejusque comitibus, eoque futurum esset, ut hi quoque ipsum tanquam hominem non ferendum derelinquerent. Nam saepius jam, ut ipse queritur v. 303 sqq., nautae, qui forte ad insulam appulissent, verbis quidem ei misericordiam testati erant, etiam cibo et vestitu miseriam ejus levaverant; at domum reducere eum nemo voluerat; immo ne mandata quidem iis a Philocteta ad patrem data unquam ad hunc pervenerant. Non mirum igitur, si tot annorum experientia edoctus diligenter summaque virium intentione omnia vitare studet, quibus horrorem novis possit injicere advenis. Hinc quaelibet facit, ut vim morbi minuat et dissimulet, nec nisi acerbissimis cruciatibus victus, lamentationi indulget. Et postquam e somno expergefactus, remissis doloribus, Neoptolemum sibi adesse neque refugisse videt, generosum juvenis animum prae Atridarum immanitate extollit. Orat, ut sui misereatur nec malorum horrore commotus se deserat; solere enim malum nonnisi post longum intervallum ingruere ac cito remitti. Postremo quum, ipso jam ad proficiscendum cum amicis parato, Neoptolemus subito subsistit, ille anxius sciscitatur, num forte molesto morbo deterritus abducere se gravetur.

Ex his omnibus manifestum est, summa quidem ope eniti Philoctetam, ut dolorem reprimat, qui tamen major est, quam ut omnino vinci a se possit. Ergo mala quibus affligitur tolerat, non tam ut heros, non ut heroicae virtutis exemplum, sed ut ne novos advenas horrore deterreat. Neque igitur Philoctetam laborantem ita proponi a poeta putamus, ut gemitu ejus et clamore summa cruciatuum vehementia repraesentetur, quemadmodum Herderus Lessingii sententiam paullulum distortam interpretatus est, neque, ut ille Winckelmanno patronus accedens censuit, talem, qui heroica animi fortitudine dolores reprimat et vincat, sed talem potius, qui, ut homo Graecus, doloribus percitus non erubescat querelas et clamores edere, quamquam omnibus viribus dolorem superare enititur, ne advenarum animos a se ab alienet.

ΣΤΑΣΙΜΟΝ Β'.

(Vs. 810—vs. 846).

Στροφή. (*Ἡμιχόριον α'*)

Pulcherrimo hoc carmine chorus, quum Philoctetam consopitum videt, implorat Somnum, ut propitius adsit et tenebras illius oculis obducat. Deinde Neoptolemum allocutus hortatur, ut quid agendum

sit consulat : quaerit, quomodo sibi quae restent curanda sint; cujus rei caussa remorentur; opportunitate enim celeriter utendum esse, si voti compos fieri quis velit.

Ex his apparet, chorum hortari Neoptolemum, ut, relicto Philocteta, abeat arcumque asportet. Videntur igitur nautae brevi obliti esse eorum, quae modo polliciti erant, quum Neoptolemum orantes, ut Philoctetam secum abduceret, asseveraverant, nunquam fore, ut propter foedum vulneris foetorem facti se poeniteret.

Μεσῳδός.

Ad haec Neoptolemus hexametris dactylicis respondet talia, quae juvenem prudentem ac fortem decent. Facili utique negotio se nunc auferre posse sagittas; nullum quippe esse Philoctetam; verum scire se, frustra arcu se potitos fore, si sine domino eum asportent : jussisse enim Deum ipsum Philoctetam abduci; addit, gloriari re imperfecta et, quatenus effecta sit, mendaciis parta, probrosum esse.

Ἀντιστροφή. (Ἡμιχόριον β΄.)

Nihilominus chorus non desistit a proposito, illud quidem diis curae fore dicens. Veritus autem, ne Philoctetes audiat se loquentes, monet Neoptolemum

ut, quae responsurus sit, paucis et summisse dicat, quandoquidem aegrotantium somnus levis et vigil esse soleat. „Illud vero," inquit, „quam maxime „cura, ut clanculum rem agas : nam si in sen„tentia perstes (np. ut Philoctetam tecum avehas), „ineluctabilia ex ea re mala tibi prospicienda sunt."

'Επῳδός.

Contra manifestam Neoptolemi voluntatem chorus perseverans in sua sententia ostendere ei conatur, quam opportune nunc liceat cum arcu discedere clam Philocteta, cui nunc nec oculorum sensus neque manuum pedumve usus adsit, mortui instar humi porrecto.

ΕΠΕΙΣΟΔΙΟΝ Γ'.

Vs. 847—vs. 1062.

Vix elocutum chorum Neoptolemus silere jubet nec animo conturbari; virum quippe movere oculos et caput allevare. Revera mox Philoctetes e salutari somno expergefactus oculos aperit, neque tamen mali levamine gaudet, sed illico circumspicit, quod maxime cordi ei erat, num adsint Graeci. Quos ut videt, magnopere laetatur et luce, quae somni tenebras excepit, et Neoptolemi ejusque comitum tutela, quam sperare vix ausus erat.

Mirum quantum illius verba e grato animo profecta discrepant a perfidis chori consiliis, quibus modo Neoptolemum ad fugam adducere conatus erat. Laudat et admiratur juvenem, qui tam misericorditer aerumnas suas praesentia et auxilio sustinuisset; non tales se fortissimos Atridas olim praestitisse; at Neoptolemum pro generosa indole nec vociferatione sua nec vulneris foetore ab officio esse deterritum. Jam, quum requies aliqua mali adesse videtur, a Neoptolemo allevari erigique cupit, ut, quoniam languore se liberatum sentit, ad navem festinent nec ullam amplius faciant navigandi moram.

Gaudet Neoptolemus, quod illum praeter spem doloribus liberatum et viventem adspiciat; jubet eum erigi, aut, si hoc malit, auxilium ei offert comitum suorum, qui eum portent. Probata ejus voluntate, Philocteta se a Neoptolemo attolli vult; socios autem dimitti jubet, ne foedo odore ante quam necesse sit graventur: satis molestum iis esse onus, secum una in navi commorari. Quo impetrato, tandem aegre et magno cum labore, adhortante identidem Neoptolemo, erigitur.

Jam illud quam maxime inexspectatum et spectatoribus et magis etiam Philoctetae accidere debuit, quod

mox Neoptolemus, mutata animi sententia, quid rei agatur, ei patefacit. Alti enim animi juvenem, quem jam statim initio fabulae fallacibus Ulyssis consiliis indignatum, nec nisi pulcherrimis gloriae sapientiaeque praetentis praemiis victum tandem cessisse vidimus, pudet vehementer tam turpis fraudis fuisse adjutorem. Non tantum horrenda Philoctetae mala animum ejus ad misericordiam flexerant, sed maximam vim in ingenuo juvene habuerat senis candor et simplicitas. Tantam ingenio suo vim facere non potest, ut senem, cujus fidem dolo sibi conciliarat, prorsus prodat; hominem, cui arcum, unicum vitae praesidium, surripuerat, non amplius celare potest, quodnam revera sit consilium, quo iter in Lemnum susceperit. Ne tamen credas, Neoptolemum ideo Philoctetae abducendi consilium missum facere. Fraudem ei aperit, quia sperat et confidit, fore ut Philocteta, cognitis Graecorum rebus, eo adduci se patiatur, ut sponte ipsum ad Trojam sequi paratus sit.

Hoc igitur loco ponenda est dramatis περιπάτεια (1) quam adesse in hac fabula fuerunt qui negarent, mirifice falsi illi quidem. Etenim ut hactenus omnia

(1) Arist. Poët. Cap. XI.

feliciter Neoptolemo successerant, jamque in eo erat, ut drama mox finem videretur habiturum, ita, mutato ejus consilio, subita fit actionis conversio et incepta res prorsus turbari incipit, quandoquidem Philoctetes obstinate recusat sponte sua Trojam proficisci. Aristotelis verba : *ἔστι δὲ περιπάτεια μὲν ἡ εἰς τὸ ἐνάντιον τῶν πραττομένων μεταβολή*, exemplumque ab eo ex Oedipo allatum huic sententiae unice favere arbitror.

His monitis, revertimur ad ipsam fabulam.

Brevi exclamatione Neoptolemus animi dubitationem, quid dehinc facturus sit, significat. Miratus Philocteta quaerit statim, quid hoc sibi velit. Ille nescit, quid respondeat. Anxius jam Philocteta, qua de re tandem haesitet, sciscitatur. Suspicatur, Neoptolemum taedio affectum jam poenitere promissi. Quum alter respondisset, omnia esse difficilia, si quis invita natura fecerit, quae non oportuerat, magis etiam miratus reponit, illum tamen nihil patre indignum nec fecisse nec locutum esse, quum bono viro subveniret. Ille autem animo gravius commoto : „O Jupiter," inquit, „quid faciam? Iterumne „malus deprehendar vera celando et turpe menda„cium dicendo?" Jam Philocteta, quum prorsus ignoret caussam perturbati illius animi, nunc intel-

ligere se exclamat, velle eum, se prodito relictoque, abire; id negat alter, hoc potius metuere se dicens, ne sua comitatio ipsi potius dolorem pariat. Tandem vero sui non amplius compos, nihil celandum exclamat; navigandum esse Trojam ad Graecos et ad Atridas. Hoc quantopere necopinantem Philoctetam percellere debeat, non opus est dictu: obstupefactus exclamat: „Vae mihi, quid dixisti!" Sed lugere eum vetat Neoptolemus, antequam totam rem cognoverit. Velle se primum liberare illum morbo, deinde una cum eo Trojam diruere. Quamvis utique clare hoc elocutus sit, tamen Philocteta, quasi auribus suis diffidens, eum interrogat, num revera hoc facere statuerit.

Animadverte autem ingenuam hominis simplicitatem, qui generosi juvenis, cui maximam bahuerat fidem, tantae improbitati credere non ausus, iterum iterumque rem sciscitatur et tum demum, ubi fraudis certus est, prodi se et periisse dolet; simul arcum sibi reddi jubet. Ubi vero hoc quoque spoliari se cognovit (Neoptolemus enim arcum reddere illicitum sibi dicit; obediendum esse regibus; id et justitiam jubere et utilitatem), tandem dolorem in lamenta et exprobrationes effundit.

„Quanta calamitate," inquit, „tu, pessime morta-

„lium (1), me affecisti! quantopere me decepisti! „Nonne pudet te supplicem tuum adspicere? Arcu „ablato vitam mihi abstulisti. Redde, supplico, „redde arcum, mi fili! Per Deos patrios, vitam „ne mihi eripe misero!"

Ubi nullam verborum ejus rationem habere videtur Neoptolemus, ad res inanimes conversus pergit: „At „ne alloquitur quidem me amplius, sed vultum aver-„tit, ut qui numquam tela mihi redditurus sit. O „portus, o littora, o convictus ferarum, o praecipites „rupes, vos, vos audire me solitos, testor, quibus „me malis Achillis filius afficiat!" — Acerbe hic et cum singulari vi inserit hoc verbum „Achillis filius," hoc est, talis a quo ejusmodi fraudem nemo exspectasset. — Deinceps pergit: „Juratus sci-„licet domum me ducturum, Trojam abducit, da-„taque dextra sacrum meum arcum acceptum re-„tinet meque Argivis vult ostendere, quasi per vim „a se devictum, me mortuo similem, inanem um-„bram. Non novit se interficere vanum simulacrum; „non enim valentem me cepisset, immo ne aegrotum

(1) *Ignem* eum vocat : ὦ πῦρ σὺ, κ. τ. λ. Ignis est, quodcunque urit, cruciat; hinc tropice usurpatur de eo, quod perniciem affert, ex gr. Il. XV. 605. XX. 371.

„quidem, nisi per dolum; nunc vero deceptus sum „infelix!"

Hinc rursus Neoptolemum alloquitur : „Quid mihi „faciendum? At redde tela, redde, quaeso! Tandem „aliquando ad sanam mentem revertere! Quid dicis? „Taces. Perii infelix! O biforis rupes, rursus te „introeo spoliatus, victu carens, ut consumar hoc in „antro solus, non avem neque feram montanam arcu „meo interfecturus, sed ipse miser dapes praebiturus „iis quibus pascebar, et quos antea ego venabar, „ii nunc me venabuntur, necemque nece piabo miser „fraude ejus, qui omnis malitiae ignarus videbatur. „Pereas, at non prius, quam audivero, an sententiam „sis mutaturus; sin minus, male pereas!" Videmus ex his, quomodo Philoctetes inter spem et metum, inter iram et preces, inter angorem et querelas quasi fluctuans huc illuc agitetur (1).

Talibus obtestationibus etiam chorus commotus, ad misericordiam flecti coepit. Nescit, quid suadeat; penes Neoptolemum esse dicit, utrum navi abeant, an Philoctetae precibus pareant. Atque Neoptolemus ipse, quem modo jam fraudem abhorrere vide-

(1) Hinc asperi et abrupti quiddam cernitur in sententiarum ordine ac nexu.

bamus, fatetur, non nunc primum, sed jam dudum misericordia viri se tactum esse. Quod ut audivit Philoctetes, nova, ut par est, concepta spe, fore ut suis precibus obsequatur, iterum eum ad misericordiam impellit; simulque monet, ne nomen suum ignominia inter mortales dedecoret. Ille vero incertus haeret, optans, ne unquam patriam Scyrum requisset; adeo se has res aegre ferre.

Philoctetes, perspecta jam juvenis indole, pergit talia loqui, quae quam maxime animum illius percutere debebant; affirmat, eum non natura esse pravum, sed a malis viris edoctum videri. Indulgeat his quodcumque lubeat, modo sua sibi reddat tela. Jam in eo est, ut Neoptolemus ad Philoctetae preces accedens arcum ei reddat; percunctatur chorum, quid sibi suadeat. In summo hoc rerum discrimine aptissime intervenit Ulysses, qui e latebris jam dudum speculatus quid agatur, subito prosilit, Neoptolemum increpat, sibi arcum tradi jubet. Audita Ulyssis voce, Philoctetes statim eum agnoscit, quippe quem e mercatore resciverat mox esse adventurum. „Vae mihi!" inquit, „quis ille est? Ulyssem audio?" Quod ut affirmavit Ulysses, Philocteta periisse se exclamat; illum igitur fuisse, qui armis se spoliaverit. Etiam hoc Ulysses affir-

mat. Tum Philocteta Neoptolemum jubet arcum sibi reddere. Ulysses vero id se passurum negat et Philoctetam coacturum, ut volens nolens se sequatur.

Ille indignatione elatus, Lemni numina invocans, clamat, an haec ferenda sint, ut Ulysses se vi abducturus sit. Ulysses, ut certus victoriae, Jovem dicit esse Lemno imperantem eundemque, qui ista jusserit; hujus se administrum esse. Ad haec magis etiam irascitur Philocteta, quod, praetexto deorum nomine, deos fingat mendaces. Alter autem, eum minis victum iri credens, iterato progredi jubet; sed quum hic recusat et minitatur prius se de rupe, quae in scena conspicitur, dejecturum, ille veritus, ne ita omnis spes se frustretur, a pedisequis suis eum comprehendi jubet; quo facto Philoctetes in acerbissima lamenta erumpit, quod manus suae arcu destitutae tam indigna pati cogantur tanquam constrictae (1); circumveniri se ab eo, qui ipse nihil generosum, nihil liberale sentiens, ingenuum hunc juvenem tanquam clypeum sceleribus suis praetendat, manifesto

(1) Hoc non proprie intelligendum, quasi vincula ei injecta sint: nam nec συνδήσας vs. 998 eo spectat, et vs. 1036, ἄφετε dicit Ulysses, non λύσατε. Indignum hoc futurum fuisse Philocteta et vero etiam Ulysse, recte docuit Buttmannus.

declarantem, tam suo se peccato quam aliena miseria dolere. Ulyssi exprobrat, quod insidias semper rimans (1) juvenem simplicem nolentem edocuerit in mala re prudentiam exercere. Scelestum eum dicit, qui nunc velit vinctum se abducere ab eo littore, ubi quondam amicis orbatum, solitarium, extorrem exposuerit. Perniciem ei imprecans, queritur, quod dii illum spirare et luce frui sinant, dum sibi nihil nisi dolorem et dedecus impertiant (2). Se ludibrio esse Ulyssi, qui tamen per vim et dolum cogi quondam debuisset ad militandum (3), dum ip-

(1) Cf. Ajac. vs. 1, sq. :

Ἀεὶ μέν, ὦ παῖ Δαρτίου, δέδορκά σε
πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.

et vs. 369 :

ἰὼ πάνθ' ὁρῶν, ἁπάντων τ' ἀεὶ
κακῶν ὄργανον, τέκνον Λαρτίου,
κακοπινέστατόν τ' ἄλημα στρατοῦ,
ἦ που πολὺν γέλωθ' ὑφ' ἡδονῆς ἄγεις.

(2) Hoc quidem loco illa querela magnam habet vim, quia ab ipsius Philoctetac arbitrio pendet, utrum secundum numen deorum sanari et gloriam sibi comparare velit necne.

(3) Nota est fallacia a Palamede inventa, qua hic simulatam Ulyssis insaniam coarguit. Hanc rem a Sophocle tractatam fuisse in fabula, quae inscripta erat Ὀδυσσεὺς *μαινόμενος*, testantur Schol. Pindari Isthm. V. 86. Hesychius, s. vv. *ἐμπερής: ἠμαλάψαι, θρεκτοῖσι νόμοις, θριάζειν.* Photius, Lex.

se sponte cum septem navibus (1) ad Trojam esset profectus. Quaerit ex Ulysse, cujus rei gratia se abducat, quippe nulli rei utilem et Graecis jam dudum mortuum; quidni nunc quoque ut claudus et foetidus spernatur? quomodo nunc, se praesente, diis litari possit? — In toto hoc loco inest amara ironia et acerba prioris injuriae exprobratio. — Pergit deinceps, hanc addens exsecrationem: „Male pereatis! peribitis autem qui injuriam mihi intulistis, „siquidem diis justitia curae est; esse autem certo „scio, quandoquidem nunquam hoc iter instituissetis, „nisi divinitus immissum mei desiderium vos eo adegisset."

Duo in his verbis animadvertenda sunt: primum quod nunc deorum justitiam agnoscit Philoctetes, quo facto reprehendit atque expiat, quae vs. 441 seqq. et vs. 1022 seqq. impie in Deos locutus erat; deinde

voce μάγνον. Cff. Proclus apud Photium, qui eam fabulam inter Cypria carmina habet. Hyginus, fab. 95. Hom. Odyss. XXIV. 115—119. Ovid. Metam. XII. 34 sqq. Cic. de Offic. III. 26, 97.

(1) Secundum Homerum, Il. II. 716 sqq.:

Οἱ δ᾽ ἄρα Μηθώνην καὶ Θαυμακίην ἐνέμοντο,
καὶ Μελίβοιαν ἔχον καὶ Ὀλιζῶνα τρηχεῖαν,
τῶνδε Φιλοκτήτης ἦρχε, τόξων εὖ εἰδὼς,
ἑπτὰ νεῶν. κ. τ. λ.

quod nunc demum id quod saepius monitus erat intelligit, deorum numine impulsos Graecos ad se arcessendum venisse.

Jam in spem erectus fore, ut non semper divina negligatur justitia, apposite transit ad obsecrandam patriam deosque injuriarum vindices, orans ut, si sui misereantur, ulciscantur illos. Denique iracundia et ulciscendi cupiditate inflammatus, acerbissimum hoc dictum addit: „Si illos mortuos adspicerem, liberatus mihi morbo viderer!"

Vehementer haec omnia chori animos commovent: gravem virum Philoctetam praedicat gravemque ejus orationem, non cedentem malis.

Ad ea omnia Ulysses respondet tali oratione, quae propriam ipsius naturam et indolem declarat. Est hic locus unus ex iis, unde, qualis sit persona Ulyssis, optime cognosci potest, idemque cum iis, quae Homerus de illo canit, egregie conspirat. Respondet nimirum, se ad Philoctetae verba multa quidem habere dicenda, si sibi opportunum esset; nunc tamen unum tantum proferre argumentum. Ubi enim callidis et versutis hominibus opus sit, talem se esse; ubi autem justorum et bonorum hominum sit contentio, nullo item se inferiorem esse. Vincendi vero studium natura sibi esse in-

situm, praeterquam adversus Philoctetam; huic uni se nunc ultro cessurum.

Simulate haec ab eo dici, quum Philoctetae praesentia non minus quam sagittis egeret, vix opus est monere. Jubet ergo Philoctetam dimitti; ipso jam non opus esse sibi arma ejus habentibus, quum Teucer adsit, sagittandi peritissimus, nec minus dextre ipse arcum se tendere confidat. Valere ergo jubet Philoctetam, his additis, illius donum jam sibi pariturum esse gloriam, qua illi frui licuisset.

Nihil aptius excogitari poterat ad obstinatum Philoctetae animum permovendum, ut ad Trojam proficisci quam capiendae urbis gloriam homini invisissimo permittere mallet. Incertus quid agat, indignatur; quaerit, num suis ille armis ornatus Graecis se ostensurus sit. At Ulysses, inanem verborum contentionem evitans, plura loqui eum vetat.

Interim Neoptolemus tacitus toti huic scenae interest, ad quem conversus Philoctetes Achillis filium orat, ut ne se deserat. Ulysses vero, cavens ne Neoptolemus clementia sua abripi se patiatur, interpellans eum, Neoptolemum jubet abscedere, ne suam fortunam perdat. Ille tacitus obtemperat. Ab hoc quoque repulsus, postremo Philoctetes con-

fugit ad nautarum chorum, quos miserabili voce rogat, num hi quoque solum se relicturi sint, nec ulla misericordia moveantur. Sed hi, quum et Ulyssem prorsus negasse et Neoptolemum silentio ei assensum esse intellexerunt, intercedere non audent; respondent, Neoptolemum esse navis dominum, cujus voluntati obsequendum sit.

Attamen Neoptolemus, generosi animi adolescens, misericordem se, ut est, ita a Philocteta nosci cupit; jubet igitur chorum, si lubeat, apud eum manere tamdiu, donec omnia ad iter parata diisque preces factae sint. Sperat nimirum, Philoctetam eo temporis spatio mutaturum sententiam; denique, ut vocati praesto sint, imperat.

ΚΟΜΜΟΣ.

Vs. 1063—vs. 1193.

Στροφὴ α΄.

Philoctetes, Ulyssis et Neoptolemi discessu omni jam spe destitutus, vehementissime queri lamentarique incipit, atque in suae calamitatis cogitatione ita defixus haeret, ut, quae chorus eum admonet, prorsus non animadvertat.

„Nunquamne," exclamat, „hanc cavae rupis con„vallem relinquere mihi destinatum est, sed idem

„antrum, quod vivum me recepit, etiam morienti „aptum erit?" Locum ipsum, gemitus sui plenum, compellans quaerit, quae sibi sit vel unde victus parandi spes, quum arcus sit ablatus (1).

Στροφὴ β'.

Chorus docere studet Philoctetam, nemini nisi ipsi culpam tribuendam esse, quandoquidem, quum ei optare liceret, meliori fortunae antetulerit pejorem.

'Αντιστροφὴ α'.

Philocteta queri pergit, quod miser, laboribus confectus, mox etiam omni hominum consuetudine privatus, hic periturus sit, nullum amplius cibum sagittarum ope adepturus; occultis dolosi hominis verbis se deceptum queritur, optatque, ut contingat sibi eum, qui talia consilia inierit, similibus aliquando cruciatibus affectum adspicere.

'Αντιστροφὴ β'.

Iterum chorus disertis verbis admonet Philocte-

(1) Est hic unus e difficillimis locis ab omnibus criticis varie tentatus. Hermannus tamen leviore correctione adhibita commodum sensum restituisse visus est, licet Schneidewini quoque sententia haud omnino sit repudianda.

tam, divinitus immissa calamitate, non suo dolo eum ad hanc necessitatem adductum esse; odiosas igitur diras in alios vertat; sibi cordi esse, ut Philoctetae animum benignitate conciliet.

Στροφὴ γ'.

Philoctetae vero luctui accedit indignatio cogitanti, Ulyssem nunc fortasse in littore maris considentem sibi irridere, dum arcum manu quatiat, quem nemo unquem attrectasset. Nesciebat enim, Neoptolemum arcum illi haud tradidisse. „O dilecte „arcus," exclamat, „manibus meis extorte! si quo „sensu praeditus es, vides me, Herculis socium, non „amplius te usurum; sed in alterius es possessione „domini, vafri hominis, cujus turpes fraudes et in„numera mala inde orientia adspicis."

Στροφὴ δ'.

Chorus, non desistens a conatu Philoctetam ad meliorem mentem revocandi, oportere ait, id quod utile est justum dicere, neque invidiose calumniari; quibus verbis significat, non oportere Philoctetam maledictis invehi in Ulyssem, ut qui utilia fecerit; quippe qui unus e multis ad hoc negotium electus,

Neoptolemi ministerio commune Graecis tulerit auxilium.

'Αντιστροφὴ γ'.

Philoctetes, suis in rebus abditus, feras infortunii sui testes facit. „Vos," inquit, „quas haec terra „montana alit, non amplius me fugiatis necesse est; „careo enim pristino telorum auxilio, infelix. Libere „huc accedite, nunc vobis vicissim licet meis satiari „visceribus, quippe qui mox inedia et fame sim „periturus."

'Αντιστροφὴ δ'.

Chorus veritus, ne Philoctetes animi desperatione adductus finem vitae imponat, quo facto omnis Graecorum spes irrita foret, eum per Deos obsecrat, ut iram mitiget, idque sua ipsius caussa, ut liberetur a morbo, tam per se quam propter magnum malorum comitatum intolerabili.

'Ανομοιόστροφα (1).

Nunc demum ad postrema chori verba respiciens

(1) Jure Lachmannus in libro de Choricis systematis tragicorum Graecorum, p. 258, haec ad id carminum genus refert, quod nulla antistrophicorum lege constrictum est; quem secutus Hermannus, quum in priore editione totum carmen in προῳδόν, quinque στροφάς et ἀντιστροφάς cum ἐπῳδῷ distinxisset, in altera ed. inscripsit nomine ἀνομοιοστρόφων.

Philoctetes quaerit, cur tandem se enecent suadendo, ut in invisam Trojanam terram se duci sinat; quod postquam chorus dixit optimum sibi videri, aspere ille jubet eum discedere. Hoc jussu irritatus, laetari se simulat chorus. Quo ille audito, quum novo morbi impetu cruciari incipit, per Jovem supplicat, ne abeant; mox abeuntes jam orat, ut revertantur; respondentibus autem, se nihil aliud facere nisi quod modo ab ipso jussi essent, reponit sibi non esse succensendum, si quid dolore abreptus deliret. Jam in spem venit chorus, Philoctetam sibi obsecuturum, eumque progredi jubet. At statim ille denuo iturum se negat, etiamsi Jupiter ipse fulmine se exurat. Perire jubet Ilium et quicumque Graecorum ipsum ob pedis vulnus destituissent. Unum autem hospites rogat, ut aliquod telum sibi praebeant, quo sua se manu jugulet: mortem se oppetere, ut patrem in inferos sequatur. „Quibus enim oculis," inquit, „patriam re„visurus sum miser, qui, relicto sacro ejus flumi„ne, perfidis Graecis opem tuli? Perii funditus!" His dictis, in antrum se recipit; chorus frustrata spe reponit, se jamdudum ad navem abiturum fuisse, nisi Ulyssem et Neoptolemum advenientes conspexisset.

ΕΞΟΔΟΣ.

Vs. 1194—1443.

Nunc vero nova et inexspectata fit rerum commutatio. Diversa a parte accedunt Ulysses et Neoptolemus : alter sedate ingrediens, alter propere currens; diverso uterque consilio, Ulysses, ut incepta properet, Neoptolemus vero, fallaciarum quibus Philoctetam circumvenerat pertaesus, ut tela illi reddat, quamvis hoc facto Graecis irreparabile damnum esset illaturus. Ut ambo sibi obviam venere, Ulysses a Neoptolemo sciscitatur, quid tam festinanter huc currat? Respondet, se venire ad culpam expiandam, quam antea commisisset. His dictis sollicitatus Ulysses, jam suspicans quid agitet, quodnam sit illud peccatum scire cupit. Ille aperto animo et intrepido deliquisse se fatetur, quod Ulyssi cunctoque exercitui morigeratus, turpi fraude ac perfidia fefellerit Philoctetam, affirmatque se arcum ei, cui detraxerit, redditurum.

Multae inde altercationes. Ulysses minatur Neoptolemo ultionem Graecorum; hic reponit se parum eam curare; ille neque sollerter neque sapienter facere Neoptolemum arguit; hic sapientiae praeferre se justitiam dicit. Vi se arcum erepturum Ulys-

ses minatur; vim vi repulsum iri respondet Neoptolemus.

Tanta pertinacia victus, tandem, re desperata, cedit Ulysses, cujus animi tranquillitas paullisper tantum turbata fuit; ceterum cunctis Graecis rem evulgaturum se asseverat. Dum abit (abit tamen ita, ut paullum subsistens observet, quid agat Neoptolemus), hic deridens eum tandem ad sanam mentem rediisse dicit, atque, si in posterum similiter se gerat, fore ut eum factorum non poeniteat. Tum ad antrum procedens evocat Philoctetam, qui clamore turbatus, ambos adesse putans, quaerit, quid sibi velint; num prioribus malis aliud malum additúri sint. Bono animo eum esse jubet Neoptolemus; nihilo minus Philocteta metuit, quippe quum antea quoque Neoptolemus speciosis verbis male ipsum decepisset. Ille non statim arcum ei reddit, extremum sciscitaturus, utrum remanere decreverit an secum proficisci velit. At spes, si quam fovit, eum frustratur; finem loquendi facere eum jubet Philoctetes. Iterum persuadere conanti eadem fere reponit, affirmans frustra eum plura dicturum; nunquam se benevolum fore ei, qui dolis vitam sibi ademerit et nunc iterum accedere audeat, ut consilia sibi impertiatur, optimi patris turpissimus filius. Paullatim magis

magisque excandescens, optat, ut pereant, primum Atridae, deinde etiam Ulysses et Neoptolemus. Hic vero diras eum retinere et simul arcum dextra accipere jubet, addens se per summi Jovis numen juravisse.

Repente autem, dum Neoptolemus arcum tradit, intervenit Ulysses, eumque id facere vetat; cujus voce audita, quaerit Philoctetes, Ulyssisne vocem agnoscat. At hic audacter in medium procedit, adesse sese affirmans, qui illum, sive velit sive nolit Neoptolemus, vi abducturus sit ad Ilium. Parum vero aberat, quin male cessisset Ulyssi haec insolentia. Namque Philoctetes, arcus compos, telum in illum dirigit, nec nisi a Neoptolemo retentus, quominus sagittam arcu emittat, a proposito desistit. Interim Ulysses ocius se proripit, latebris se abditurus, ut rei eventum speculetur. Dolet autem Philoctetes prohibitum se a Neoptolemo, quominus invisum hominem occideret; quumque ille tale facinus nec sibi neque ipsi decorum dixisset, acerbe reponit Philoctetes, tamen primarios illos Achivorum viros, mendaciorum machinatores, lingua fortes, manu vero ignavos esse. Concedit hoc Neoptolemo, sed rem, quam cogitat, aggredi studens, Philoctetae, quum arma recepisset, nullam jam caussam esse dicit, cur sibi succenseat. Quod

ille ex animo assensus laudare incipit Neoptolemum, qui manifestaverit se non Sisypho patre, verum Achille natum, qui et olim viventium et nunc mortuorum unus optime audiat. Hac voluntatis inclinatione usus Neoptolemus prudenter Philoctetam patefaciendo totam rem permovere studet, ut sua sponte ad Trojam revertatur. Itaque gratias ei agit pro laudibus patri sibique impertitis; quae autem ab eo cupiat, haec esse: mortalibus calamitates divinitus immissas necessario ferendas esse; qui vero, sicut nunc ille, in voluntarium inciderint damnum, his neque ignoscendum neque misericordiam praestandam esse. Philoctetam, ira efferatum, neque consilia accipere et si quis benevole moneat, hunc ut inimicum et malevolum odisse. Se tamen, invocato Jove jurisjurandi vindice, aperte locuturum. Laborare Philoctetam illo morbo ex voluntate deorum, quia quondam propius accessisset ad serpentem, qui Chryses Nymphae cellam custodiebat; hoc autem probe sciendum ei esse, nunquam fore ut finem morbi inveniat, nisi ipse sua sponte ad Trojam profectus ab Aesculapii filiis in Graecorum exercitu curetur, atque telorum suorum ope secum vastet Ilium.

Ne autem in animo Philoctetae dubitationis ali-

quid relinquatur, refert, unde haec ipse resciverit. Captivum Trojanum, Helenum vatem, praedixisse id ita fore ac praeterea in fatis esse, ut currente hac aestate Troja expugnaretur; si falsus reperiatur, eum ultro sese morti obtulisse. Hortatur igitur Philoctetam ad voluntariam profectionem. Pulchrum enim fore, si contingat ut Graecorum unus omnium fortissimus vir non solum sanetur, sed etiam expugnata Troja maximam sibi paret gloriam.

Vel sic tamen non conciliatur animus Philoctetae; novus eum subit metus, ne ille, sponte tradito arcu, aliam machinetur fraudem, aut ne violentiam irritam fore intelligens, blandis verbis idem sibi persuadere tentet. Certissimo igitur non cedendi, quidquid eventurum esset, consilio capto, nunc quoque ei obsequi recusat.

Hanc orationem legentes subeat fortasse dubitatio, num Sophocles Neoptolemum hic finxerit prudentiorem et eloquentiorem, quam a juvenili aetate ac bellicosa ejus indole exspectari licebat.

Responsum in promptu est. Neoptolemus per totam fabulam patris Achillis simillimum se gerit, nisi quod gloriae studio et patriae amore ductus speciosis Ulyssis verbis aliquantisper abripi se passus est. Mox tamen ingenua commissae fraudis indig-

natione commotus resipiscit. Per totum Ulyssis et Philoctetae colloquium altum ipse servavit silentium; interim cum animo meditatus est, qua ratione posset et culpam expiare et simul Philoctetae obstinatum consilium vincere. Unam tantum successus viam esse intelligit, veritatis. Itaque regressus, intrepido animo, nullis concusso minis, et summo candore narrat omnia, quae ansam sibi dedissent, ut cum Ulysse in Lemnum proficisceretur. Haec narratio generosi juvenis e pectore profecta, quum veritatis notam prae se ferat, eloquens sit necesse est. Itaque in hac Neoptolemi oratione reprehendi non potest quod Euripidi vitio vertitur, cujus longiores *μονολογίαι* nimis saepe artem sapiunt rhetoricam.

Audiamus jam, quae reponat Philocteta. Detestatur vitae sortem, quae ipsum in terris retineat neque potius jam pridem in orcum demiserit. Quid autem faciat, dubius est: fidem neget verbis Neoptolemi, qui benevolus ei consiliorum auctor exstitit? an cedat ejus voluntati? quomodo porro in hominum lucem prodibit? quomodo oculi sui, qui tot in se commissas injurias adspexerant, contubernium Atridarum et Ulyssis sustinebunt? Non modo superiorum malorum dolor eum cruciat, sed quae sibi deinceps ab illis metuenda sint, providet; nam

quibus mala est mens, ab his nil nisi mala consilia proficiscuntur. Quin immo ipsum miratur Neoptolemum, quomodo hortari se possit ad opitulandum iis, qui paterna arma ei abstulissent. Ipse enim sibi repugnet, si et suo auxilio Atridas adjuvaturus et Philoctetam ad id faciendum adacturus sit (1).

Denique orat eum, ne hoc facere velit; sed, sicut juravisset, domum se reducat et ipse Scyrum habitatum concedens illos male malos perire sinat. Ita duplicem et a se et a patre suo (2) gratiam initurum, neque malis hominibus opitulando malorum similem se praestiturum.

Neoptolemus, quamquam justa dicere Philoctetam fatetur, tamen cupit eum dato jurejurando confisum adducere, ut secum abeat. Quaerenti: „Quorsum?" ille tecte respondet, profecturos se ad eos, qui morbo

(1) Animadvertendum, ipsa ea, quae Neoptolemum monuerat Ulysses, ut armis paternis orbatum se fingeret, jam in caussis esse, ob quas Philoctetes Atridis et Ulyssi reconciliari abnuit, quum illos, qui Neoptolemo injuriam injunxissent, aversetur. Hoc etiam probat, quam sincere Neoptolemi caussam amplexus esset Philoctetes. Prudenter autem Neoptolemus non opus esse censet, ut quid ejus rei sit, nunc Philoctetam edoceat, quoniam ejus animum, hac quoque fraude cognita, minus etiam flecti necesse erat.

(2) Hunc in vivis esse ponit hoc loco. Cf. vss. 483, 657, 1184, 1402 sqq.

ipsum liberaturi sint. Quo audito Philoctetes indignatus quaerit, an talia dicentem non pudeat deorum, per quos juraverit? Respondet alter, non pudere rei quae utilis sit. — „Mihine utilis," sciscitatur ille, „an Atridis?" — Frustra Neoptolemus declarat, ipsius Philoctetae commodis se consulere; ille perstat in proposito: non vult inimicis tradi et ad Trojam reverti. Tandem Neoptolemus victus tam sua ingenii liberalitate quam illius pertinacia, paratum se dicit, ut eum ad patrem in Thessaliam reducat; quum autem declarat metum suum, ne hoc sibi crimini detur regnumque suum devastent Achivi, Philoctetes ei pollicetur se Herculis sagittis hostes repulsurum; quo facto Neoptolemus eum, salutata terra, progredi jubet.

Atque ita jam fabulae finis esset impositus, sed talis, qui nec rei historiae nec expressae deorum voluntati nec vero consilio, quo poeta composuisse fabulam videtur, congrueret.

Si unquam, hic sane dignus vindice nodus incidit, ut mirere fuisse, qui hunc dramatis exitum ineptum judicarent. In his fuit Greverus (1), qui to-

(1) In Programmate inscripto: Würdigung der Tragödie Philoktet des Sophokles in ästhetischer Hinsichte etc. von J. P. C. Greverus, Rector und Prof. des Gymnasiums zu Oldenburg, 1840.

tam hujus tragoediae compositionem descriptionemque vituperans, poetam ideo ad deum, ex machina quem vocant, confugisse contendit, quod inops consilii intelligeret quidem, parum procedere actionem, non autem videret aliam viam, qua drama apte finiretur.

De hoc autem primum animadvertendum est, non omni quidem loco neque omni tempore talem divini numinis interventum rei convenientem esse, sed ibi demum adhiberi posse, ubi fidem ei adjunctum iri verisimile sit. Permultum porro refert, qua ratione id fiat, quale sit fabulae argumentum, et quomodo res tractetur. Poesis, quae vere poesis dicenda est, incredibilem in hominum animis exercet vim, quia animos et sensus movet motusque dirigit quocumque velit. Fingendi autem vis, quam φαντασίαν Graeci dicunt, latissime patet, nec veretur subinde miracula proferre fidem excedentia, quae tamen lectores spectatoresve minime aversentur, immo amplectantur atque ament. Deorum interventus procul dubio pulcher est et idoneus, si locum habet in eo quod homini sanctum est, quodve melius divinae auctoritati quam levi et inconstanti mortalium judicio decernendum committatur. Divinitus immisso mandato homo libenter obsequitur, et, quamdiu vigent deorum pietas ac

fides, id quod a deo sancitum est, non temere mortales subvertere conantur. Itaque ubi opinionum humanarum discrepantia tolli nullo alio modo potest, ibi nihil restat nisi ad deum provocare, idque inevitabile adeo ac necessarium est. Ante omnia autem divina illa vis poesi est utilissima, quia animum excitat et sensus commovet et elatum animum ad agendum impellit. Ita Philoctetes, postquam odio irritatus omnibus placandi modis pertinaciter restitit, longe praeclarius ac gravius, dei jussu audito, repente ab odio desistit et popularibus suis ad violatam hospitii sanctitatem et scelestum adulterium ulciscendum auxilio proficiscitur, quam si, reputatis commodis inde ad se redundaturis, ratiocinando eo esset adductus (1).

Nullus autem deorum heroumve aptior erat, quem hic induceret poeta, quam Hercules: hunc enim maxime colebat et admirabatur Philoctetes ob virtutem, qua etiam ad deos erat evectus; ab hoc jamjam rogum conscensuro auxilii praemium acceperat sagittas illas, quibus solis Troja capi posset;

(1) Cfr. praestans liber, qui inscribitur: Die sieben Tragödien des Sophokles. Erklärungen von Konrad Schwenck. Frankf. a. M. 1846. Cf. etiam doctissimi et acutissimi viri Schöllii opus cui titulus est: Sophokles. Sein Leben und Wirken. Nach den Quellen dargestellt von Adolf Schöll. Frankf. a. M. 1842.

idem denique hic ut Graecis eximie carus erat, ita Trojanos maximo odio habebat; quare par erat, hunc heroem et Trojae excidium maxime cordi habuisse eundemque apud Philoctetam summa valuisse auctoritate.

Hercules igitur ex aethere apparens Philoctetam domum navigare vetat, priusquam sua audiverit verba. „Scito autem," inquit, „te Herculis vocem „audire faciemque adspicere." Affirmat se Philoctetae gratia coelestium sedes reliquisse, arcana Jovis consilii ei aperturum et dissuasurum profectionem, quam paret. Ac primum quidem suae ipsius eum commonefacit fortunae, quot laboribus exantlatis immortalium deorum honores sit adeptus. Ita illum quoque aerumnas pati oportere, si immortalem aliquando gloriam adipisci velit. Jubet autem eum cum Neoptolemo ad Trojam proficisci, ut primum ipse liberetur morbo, deinde Parim, horum malorum auctorem, suis telis interimat et Trojam exscindat spolietque; virtutis praemia a Graecis accepta domum mittat ad patrem; quae vero spolia suis sagittis de Trojanis ceperit, ea sibi ut monumentum in fano (quod in monte Oeta Herculi sacratum erat) dedicet. Tum utrique commendat, ut, quoniam neuter eorum sine alterius ope Trojam capere posset, ambo tanquam leonum

par (1) sibi invicem auxilientur. Addit se Aesculapium ad Ilium missurum, qui Philoctetae vulneri medeatur (2). Nunc enim iterum suis telis Trojam capi in fatis esse. Postremo eos commonefacit, ut capta vastataque Troja pietatem erga deos servent, qua Jupiter cetera omnia ducat inferiora.

Divi Herculis monitu, ut par est, permotus, Philoctetes respondet se illi dicto audientes fore, cui assentitur Neoptolemus.

Ad haec Hercules eos hortatur, ne diutius cunctentur; opportunam enim esse navigationem. Huic

(1) Cf. Iliad. V. 554 sqq. :

Οἵω τώγε λέοντε δύω ὄρεος κορυφῆσιν
ἐτραφέτην ὑπὸ μητρὶ βαθείης τάρφεσιν ὕλης· κ. τ. λ.

Iliad. X. 297 seq. de Ulysse et Diomede :

βάν ῥ' ἴμεν, ὥστε λέοντε δύω, διά νύκτα μέλαιναν,
ἄμφονον, ἀννέκυας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα.

(2) Ne hoc pugnare putes cum iis, quae supra pag. 23. De Heleno narrata sunt, quo auctore ab Aesculapii filiis sanatum iri Philoctetam retulit Neoptolemus. Nam illud non sic dictum est, quasi Helenus diserte Aesculapii filios significaret, sed quum ille sanatum iri a medico Philoctetam dixisset, Neoptolemus id de claris illis, qui in exercitu erant, Asclepiadis interpretatus erat. Nunc autem Hercules, quo certius illi de restituenda valetudine persuadeat, ipsum a se Aesculapium missum iri significat; divina enim arte opus esse ad expugnandum virus hydrae. Machaonis cura restitutum esse Philoctetam Lesches in Iliade parva narraverat. Cfr. Buttmann. ad h. l. (v. 1437).

quoque monito obsecutus Philoctetes postremo valedicit antro, in quo tot annos moratus erat, et Nymphis irrigua prata incolentibus, et alluentis maris undis, quibus toties caput suum irrigaverat austri flatus. Salutat et Hermeum montem, qui saepe gemitus suos reddiderat; valedicit fontibus, qui sitim suam levaverant, Lemniae denique terrae, quae ut se incolumem ire sinat eo, quo Fatum et amicorum sententia et dei numen vocent, optat.

Postremo chorus : „Cuncti igitur", inquit, „una „abeamus, Nymphas marinas, ut itineris comites „nobis servatrices adsint, precati."

His expositis, si jam quaeritur, quodnam sit fabulae primarium argumentum sive quam sententiam poeta ea exprimere sibi propositum habuerit, id cum e totius dramatis contextu, tum etiam apparere mihi videtur e vss. 1412—1415, quibus Hercules Philoctetam Neoptolemumque graviter hortatur, ut, postquam ditionem Trojanam devastaverint, deos colant et revereantur: patrem enim Jovem cetera omnia posthabere pietati, quae non pereat cum mortalibus, sed maneat, sive moriantur homines sive vivant. Talis adhortatio utrique, et Philoctetae et Neoptolemo, admodum salutaris erat : uterque enim divinis rebus humanas an-

tetulerat; quippe qui humanis affectibus commoti, suam unice voluntatem, suum commodum, suum studium odiumve spectantes, id quod a diis praeceptum erat neglexissent. Nunc vero moniti discent in posterum deos vereri iisque debitum honorem tribuere, agnoscentes, deorum numen omni in re dominari et homines servire deorum consiliis, ita ut per illorum ministerium deorum voluntas et consilium perficiatur (1).

Itaque sententiam, quam poeta nostro dramate exposuerit, hanc fuisse existimo : humanam mentem, quamvis ex hominum judicio pura atque integra in eo, quod jus et officium praescribit, exsequendo esse videatur, tamen vitiosam esse et ad delicta pronam, nisi mortales deorum voluntatem agnoscant eique obsequantur; sive : pietatem erga deos omni

(1) Scholiasta ad vs. 1413 : „Αἰνίττεται τοῦτο εἰς Νεοπτόλεμον· ἐν γὰρ τῇ Ἰλίου ἁλώσει ἀπέκτεινε τὸν Πρίαμον προςφυγόντα τῷ βωμῷ τοῦ Ἑρκείου Διός. Praeter Neoptolemum, qui caedis Priami expiandae caussa postea ipse ad aram Apollinis Delphici necatus est, Hercules etiam Ajacem Oilei filium spectat, qui Cassandrae virgini in templo Minervae stuprum intulit. Ceterum Neoptolemi scelus poenaque insecuta adeo inter Graecos percrebruerant, ut auctore Pausania IV, 173. inde ductum sit proverbium : Νεοπτολέμειος τίσις, h. e. παθεῖν ὁποῖόν τις καὶ ἔδρασεν.

humanae virtuti et prudentiae anteponendam esse. Pertinet hoc non tantum ad Neoptolemum, sed etiam ad Ulyssem, qui mentis judicio fretus mandatum sibi negotium suo arbitrio exsequi maluisset quam deorum monito, ut persuasione rem perficeret, (vs. 604; cf. supra pag. 23) obtemperare.

Animadversiones.

V. 7. *τὸν Ποίαντος υἱὸν — νόσῳ καταστάζοντα διαβόρῳ πόδα.*

Haec verba bifariam explicant interpretes. Quaeritur enim, utrum *καταστάζειν πόδα* intransitive accipiendum sit, ita ut *πόδα* tanquam accusativus partis sit additus, hoc sensu: stillare sanie quod ad pedem, an vero transitive explicandum sit ita: pedem facere ut stillet, sive pedem habere stillantem. Priorem explicationem sequitur Scholiasta interpretans: *καταστάζοντα, οἷον καταῤῥέοντα, τηκόμενον, λυόμενον.* Wunderus contra transitivo sensu accipit: habere pedem stillantem sanie, com-

6

parans Soph. Ajac. 10 : *κάρα στάζων ἱδρῶτι.* et Eurip. Suppl. 586 : *φάλαρα — στόμα ἀφρῷ καταστάζοντα.* Similiter fere Ellendtius, Lex. Sophocl. s. v.: „Perfacile," inquit, „*καταστάζειν πόδα νόσῳ* dici potuit, cum hypallage pro *νοσεῖν ὥςτε τὸν πόδα διάβορον* (exesum) *καταστάζειν*, scil. *πύῳ καὶ αἵματι.*" Citat Soph. Laoc. fragm. 342. (Dindorf. = 138 Ahrens.): *πατέρα — νώτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος.*

Loci tamen allati non valent ad probandum id quod volunt. In Ajacis versu certe verbum *στάζειν* intransitive positum est, addito accusativo partis *κάρα*; et simili plane modo hic construitur compositum *καταστάζειν.* Universe verbum *στάζειν* adjunctum tantum habet accusativum similis significationis sive ejus rei, quae *stillando*, *fluendo emittitur.* Sic dicitur ex. gr. *στάζω αἷμα*, *δάκρυ*, *sanguinem*, *lacrimas*, *stillare* vel *fluere facio*; ex gr. Hom. Iliad. XIX. 38 : *Πατρόκλῳ δ' αὖτ' ἀμβροσίην καὶ νέκταρ ἐρυθρὸν στάξε κατὰ ῥινῶν.* Aesch. Choeph. 1054 : *κἀξ ὀμμάτων στάζουσιν αἷμα.* Pind. Nem. X. 82 : *τόδε σπέρμα θνατὸν μάτρὶ τεᾷ στάξεν.* *Καταστάζειν* etiam subinde accusativum vel genitivum adjunctum habet, qui suspensus est a praepositione, ut v. 806 : *ἱδρὼς — πᾶν καταστά-*

ζει δέμας; Eur. Herc. fur. 634 : *ἀφρὸν κατέσταζ' εὐτρίχου γενειάδος.* Suppl. 587 : *ἵν' αἵματος ῥοαὶ τάφου καταστάζωσιν.* In fr. 342 modo citato: *νώτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος,* genit *νώτου* pendet a *κατὰ,* accusativus autem *φάρος* suspensus a v. *στάζειν,* hoc sensu: *pallium fluere facio de tergo.* Sed transitivo significatu cum accusativo objecti, ut hoc loco positum foret, usurpatum non videtur. Itaque scholiastae interpretationem praeferendam arbitror, quam etiam Hermannus probasse videtur, qui confert tantum Ajac. v. 10 : *κάρα στάζων ἱδρῶτι.*

Praeterea animadvertendum Scholiastam junxisse videri accusativum *πόδα* cum *διαβόρῳ*; explicat enim *τῇ τὸν πόδα ἐσθιούσῃ, σηπτικῇ, τῇ διαβιβρωσκούσῃ,* quae explicatio, quamquam similibus poetarum dictionibus quodammodo comprobari possit, (subinde enim, etsi raro, adjectiva verbalia construuntur cum casu verbi, ex. gr. Soph. Ant. 787 : *καί σ' οὔτ' ἀθανάτων* φύξιμος *οὐδείς.* Eur. Iph. A. 1265 : *ἐγὼ τά τ' οἰκτρὰ* συνετός *εἰμι καὶ τὰ μή.*) tamen simplicitate prae altera haud sane praestat. Animadvertendum tantum, Sophoclem vocem *διαβόρῳ* ita collocasse, ut hujus cum nomine *πόδα* necessitudo eluceret.

V. 22. *ἅ μοι προςελθὼν σῖγα κ. τ. λ.*

Matthaeius in Edit. Philoctetae ad hunc locum nescire se dicit an *σῖγα* rectius jungatur imperativo *σήμαινε*, quam participio *προςελθών*. Sed non opus erat, ut Neoptolemus *tacite* Ulyssi rem *renuntiaret*, verum ut locum indicatum *tacite adiret*, ne sentiret Philoctetes. Junge igitur cum *προςελθών*. Neque hoc monitum supervacaneum erat: etenim Ulysses, homo callidissimus, nullam rem, nullum consilium praetermittit, quo, ut inceptum bene succederet, opus esse poterat. — Ceterum de verborum junctura adhuc sub judice lis est. Multi editores verbum *ἔχει* pro *κατοικεῖ* dictum putant, verba sic jungentes: *ἅ εἴτ' ἔχει ἔτι σήμαινε, προςελθὼν σῖγα πρὸς χῶρον τὸν αὐτὸν τόνδε*. Aliis vero hoc durius visum est, ex. gr. Buttmanno, qui recte statuit Brunckium *ἔχει* male interpretatum esse *habet, habitat*, e mss. afferentem glossam, *κατοικεῖ*, cujus nulla auctoritas contra constantem Atticorum scriptorum usum, apud quos nullum, credo, reperiri poterit exemplum, ubi hac significatione *ἔχειν* absolute ponitur. Praeterea *προςελθών* absolute poni potest, ut infra V. 42: *προςβαίη*. Errat autem Buttm. in eo, quod Philoctetam facit subjectum verbi *ἔχει*, quia sic *ἔχει*, quoquo modo

vertas, *habet*, *tenet*, *possidet*, ineptum praebet sensum, qui profecto eodem redit atque κατοικεῖ. — Cum Wundero vero subjectum statuo esse pronomen ἅ, ita tamen, ut ἔχει πρὸν χῶρον etc. significet : *utrum ea* (spelunca et fons modo descripta) spectent ad *hunc ipsum locum.* Hic usus verbi ἔχειν quamvis rarus probatur his exemplis: Herod. I. 180. ἐπικαρσίας ὁδοὺς ἐπὶ τὸν ποταμὸν ἐχούσας. II. 17 : ἡ δὲ ἑτέρη τῶν ὁδῶν πρὸς ἑσπέρην ἔχει. IV. 42 : τὴν διώρυχα τὴν ἐκ τοῦ Νείλου ἔχουσαν ἐς τὸν Ἀράβιον κόλπον. Xen. Anab. VII. 8. 21 : Ὁ δὲ Ἀσιδάτης — ἐξαυλίζεται εἰς κώμας ὑπὸ τὸ Παρθένιον πόλισμα ἐχούσας. Hinc etiam ponitur pro attinere ad Herod. II. 53: τὰ ἐς Ὅμηρον ἔχοντα. Pausan. I. 20. 4 : ἴσον εἰς τὴν ἅλωσιν Ἀθηναίων ἔχει δηλώσω. Falluntur autem Matthaeius πρὸς χῶρον explicans *in loco*, et Ellendtius, ll. sub voce πρὸς, qui ἔχει πρὸς χῶρον de *statu in loco* accipit. Ceterum Hermannus, quum antea ἔχει ad Philoctetam retulisset et participium προςελθὼν cum verbis πρὸς χῶρον τὸν αὐτὸν τόνδε junxisset, postea ad conjecturam confugere maluit, proposuitque pro ἔχει legendum esse ἐκεῖ. Hanc emendationem, qua recepta omnia expedita sunt, Schneidewinus et Hartungius amplexi sunt. Fortasse justo facilius.

V. 33. *στιπτή γε φυλλάς*. Pro *στειπτή* Wunderus restituit *στιπτή*, ut v. 2. *ἄστιπτος* pro *ἄστειπτος*. Ita enim corrigendum fuit ex La. Lb. B. T. et Suida sub voce *στιπτοί*. *Στιπτός* consentientibus libris mss. legitur apud Aristoph. Acharn. v. 130 et apud Hesychium. Minus recte Dindorfius illud a perf. *ἐστίβημαι* duci vult; ita enim adj. verbale foret *στιβητός*. Nuperrime vero Hartungius in Edit. Philoct. scripsit *στρωτή*, quod ex Scholiastae explicatione : *χαμαιστρωσία ἐκ φύλλων* effecit, contendens vel sine hujus testimonio *στρωτή* scribendum fuisse, quoniam hoc loco agatur de lecto (*στρωμνή*) vel cubili, quod tamen pedibus teri non soleat. Dativum porro *ἐναυλίζοντί τῳ* significationem *commodi*, qui dicitur, obtinere hoc sensu : *voor iemand, die er in overnacht.* Sed quamvis elegans sit haec conjectura, tamen codicum lectio, quam etiam Eustathius refert pag. 778. 54 (689. 15), non spernenda est. *Στιπτός* notat non solum id, quod pedibus tritum est, sed etiam quod arcte compressum et stipatum est, testibus Hesychio et Suida; itaque folia illa jam a Philocteta non pedibus, sed corporis pondere pressa et stipata a Neoptolemo conspiciuntur. Dativus autem, quod Hermannus jam docuit, pendet ab adjectivo *στιπτή*.

Vs. 66. τούτων γὰρ οὐδέν μ' ἀλγυνεῖς.

Bnttmannus, quum nexum verborum non perspiceret, pro τούτων legit τούτῳ, eumque secutus est Wunderus in Philoctetae edit. 3ª, quamvis et in Adversariis et in prioribus editt. vulgatam praetulisset. Dindorfius ex conjectura scripsit ἀλγυνεῖ, ut οὐδὲν ejus verbi subjectum sit. Librorum vero lectio optime se habet: τούτων pendet ab οὐδέν, quod cum ἀλγυνεῖς conjungendum esse recte defendit Hermannus. Cfr. Oed. Tyr. 3403:

τίς γὰρ τοιαῦτ' ἂν οὐκ ἂν ὀργίζοιτ' ἔπη
κλύων, ἃ νῦν σὺ τήνδ' ἀτιμάζεις πόλιν;

V. 67. λύπην πᾶσιν 'Αργείοις βαλεῖς.

Buttmannus βαλεῖς pro ἐμβαλεῖς dictum putans comparat Eur. Phoen. 1530 : ἀέριον σκότον ὄμμασι σοῖσι βαλών, ad quem locum tamen Geelius requirit verbum ἐπιβάλλειν, quod tenebrae non *injiciantur*, sed *objiciantur*, et nuper Hartungius scribendum esse judicavit: ἐπ' ὄμμασι σοῖσι βαλών. Similis verbi constructio, sed dissimili sensu est Trachin. v. 901: δεμνίοις τοῖς 'Ηρακλείοις στρωτὰ βάλλουσαν φάρη. Schneidewinus pro insolenti hac locutione legendum suspicatur esse ἀρεῖς, quum Sophocles

alias *κακὰν φάτιν τινί, ἐχθροῖς πόνους αἴρειν* vel *αἴρεσθαι* dicere soleat. Contra Hartungius recte quidem non opus esse emendatione illa dicit, sed quum *βαλεῖς* hic idem significare vult, quod *θήσεις* ut in locutionibus *κρηπῖδα, ἀρχὴν, εἰρήνην, συνθεσίας, φόνον βαλεῖν*, i. e. condere (*gründen*), non animadvertit, has dictiones nostrae non esse similes. Hic *βάλλειν* eodem sensu accipiendum quo Latinum *figere* pro *infigere, defigere*, ut poëtae dicunt: *figere aliquid animo, figere alicui maculam.*

V. 46—47. *ὡς μᾶλλον ἂν ἕλοιτο μ'ἢ τοὺς πάντας Ἀργείους λαβεῖν.*

Cum optimis libris, ut La. Lb. Lc. R. V. B. T. T. pro vulgata *μολεῖν* scribendum *λαβεῖν*; cui frustra obnititur Hermannus ad h. l. Fortasse illud *μολεῖν* natum est ex *μ'ὀλεῖν*, quod tanquam interpretatio verborum *μ'—λαβεῖν* in margine notatnm, inde in textum irrepserit.

V. 81. *ἀλλ' ἡδὺ γάρ τοι κτῆμα τῆς νίκης λαβεῖν.*

Male Wakefieldius conjunxit: *τῆς νίκης λαβεῖν*, qualis constructio ferri non potest. Buttmanno structura ita instituenda videbatur: *ἡδὺ κτῆμα τῆς νίκης, λαβεῖν*, qui infinitivus foret talis qualis in *καλὸς*

ἰδεῖν et similibus; neque reformidanda tautologia in his κτῆμα et λαβεῖν, quae celeriter pronuntiando minuatur. Wunderus κτῆμα νίκης λαβεῖν dictum vult pro κτᾶσθαι νίκην. At tum in Butmanni tum in Wunderi ratione desideratur articulus τό, qui abesse vix potest. Praeterea in omnibus, quae hic citavit, exemplis abest genitivus, quem hoc loco additum invenimus. Itaque vereor, ut horum interpretatio comprobari possit. Hermannus, quem sequitur Schneidewinus, junxit vocabula ἡδὺ κτῆμα, ut haec sint praedicati loco, intellecto verbo ἐστί ex quo elici debeat subjectum τὸ κτῆμα, quasi ita dictum sit: ἡδὺ γάρ τοι κτῆμά ἐστι τὸ κτῆμα τῆς νίκης. Additum autem esse verbum λαβεῖν, eodem modo ut δοῦναι v. 62 seq. οὐκ ἠξίωσαν τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων ἐλθόντι δ ο ῦ ν α ι κυρίως αἰτουμένῳ. Exempla tamen ab Hermanno ad hanc explicationem probandam ex Euripide citata (Phoen. 200 ed. Geel. Androm. 181) corrupta esse contendit Hartungius ad Phoen. 195; sed praeterea Hermanni sententia improbanda est, quia sic verbum ἐστί, ἔφυ aut simile quid deesse non poterat, quod adest etiam in exemplis ab eo citatis. Plana foret lectio, si τοι, pro quo multi codices, ut La. Lb. R. T. Por. Ven. praebent τι, quod nullius est

utilitatis, mutaretur in τὸ; quae correctio mihi placeret, nisi altera magis arrideret, ab Erfurdtio proposita, pro λαβεῖν legenti λαχεῖν. Haec emendatio simplicitate aeque ac elegantia adeo se commendat, ut jure ab Hartungio recepta mihi videatur.

V. 116. θηρατέ' οὖν γίγνοιτ' ἄν, εἴπερ ὧδ' ἔχει.

Θηρατέα La. Lb. R. A. B. Harl. Ven. et Aldina; θηρατέα γοῦν V. et Paris. Solus T. θηρατέ' οὖν. Pro hac lectione, quam hodie omnes editores receperunt, Hermannus, quod οὖν ei a Triclinio insertum videbatur, ἂν ponendum duxit, id ita recte dici ratus, si posterius ἂν ad eam referatur sententiam, quae est in verbis εἴπερ ὧδ' ἔχει, quod idem aliis verbis dixeris: ἐπὶ τοῖσδ' ἂν θηρατέ' ἂν γίγνοιτο. Immerito vero illud οὖν Triclinii correctionem esse opinatus est Hermannus. Constat enim hodie lectiones plurimas, quas Brunckius aliique Triclinio tribuerunt, non ab illo inventas, sed e codicibus, quibus usus est pluribus, repetitas esse. Triclinii recensionem, quam expressit editio Adriani Turnebi (Paris. 1553) duo exhibent codices, Parisinus 2711 (littera T notatus) et Dresdensis; tertium Neapoli tractavit Elmsleius. Sed praeterea emendatione Her-

manni non opus est, quum *οὖν* optime sententiae quadret et codicum (nam etiam V. et Paris. habent *γοῦν*, quod librariorum tantum mendum est) auctoritate firmetur.

V. 141. *σὲ δ' ὦ τέκνον, τόδ' ἐλήλυθεν πᾶν κράτος ὠγύγιον.*

Triclinii correctionem *σοί* ob vitiosam versus antistrophici lectionem, v. 156, recepit Wunderus, illud *σὲ* negans Graecorum loquendi consuetudini accommodatum esse. „Convenit enim," inquit, „locis omnibus, in quibus illa (*ἦλθον ἄνθρωπον, πόλιν· ὕπνος, γῆράς με ἱκάνει*) legimus, significatio ea verbi *veniendi*, quae fecit, ut nudus accusativus adderetur, assequendi dico vel occupandi. Longe alia ratio hujus loci est; neque enim sceptrum assequi aut occupare regem potest." Postremum hoc dici non posse facile concedo; quid vero, si non opus est, ut ita vertamus? *Σοὶ ἐλήλυθεν* significaret : tibi contigit, ad te pervenit, ita ut esset vel dativus *commodi*, vel *finalis*, quem dicunt Grammatici, quo simul aliquis fortunae casus indicaretur. Exemplorum ejus generis permagna est copia tam apud poetas quam apud prosae orationis scriptores, v. c. Pind. Olymp. I. 100. Aesch. Prom.

158 et 666. Soph. Phil. 811 : ὕπνε εὐαὴς ἡμῖν ἔλθοις. Oed. Col. 1378 : συμμάχους ἐλθεῖν ἐμοι. Antig. 197 : ἃ τοῖς ἀρίστοις ἔρχεται κάτω νεκροῖς. Herod. I. 83. Thucyd. VIII. 19 et 96. Plato Phaedr. 250 D. Idem autem verbum cum accusativo junctum non habet semper eam assequendi vel occupandi significationem, quam ei tribuit Wunderus, sed subinde simpliciter venire significat, ut Iliad. I. 322, ubi Agamemnon praecones jubet ad Achillem ire, ut Briseidem abducant :

ἔρχεσθον κλισίην Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος,

meram habet eundi vim. Eodem modo XII. 483 : νῦν δὲ σὺ μὲν Ἀΐδαο δόμους — ἔρχεαι. Soph. Trach. 258 : ἔρχεται πόλιν τὴν Εὐρυτείαν. Pind. Isthm. II. 48 : ὅταν ξεῖνον ἐμὸν ἔλθῃς. Itaque h. l. apte dicitur σὲ δ' ἐπήλυθε κράτος. regnum enim non fortunae aliquo casu illi obtingebat, sed quasi recta via, i. e. hereditate a Peleo et Achille ad Neoptolemum veniebat.

V. 147. ὅποταν δέ μόλῃ
δεινὸς ὁδίτης, τῶνδ' ἐκ μελάθρων
πρὸς ἐμὴν ἀεὶ χεῖρα προχωρῶν κ. τ. λ.

Primus Wunderus ejecit verba τῶνδ' ἐκ μελάθρων, in libris omnibus post ὁδίτης addita. Nempe con-

tendit, ea cum sequentibus conjungi non posse, quod neque antea Neoptolemus choragum ingredi jusserit antrum Philoctetae, et multo minus jubere eum potuerit manere in antro, donec Philoctetes accessisset. Si autem ad praecedentia referantur, cum verbo μόλῃ jungenda non esse, propterea quod non solum sciret Neoptolemus, id quod e prologo et sequentibus vss. constat, Philoctetam nunc non esse in antro, sed etiam sperare ei non liceret fore ut, si accederet, ex autro adveniret. Multo minus autem ea verba ex substantivo ὁδίτης apta posse existimari; primum enim isto sensu hoc quidem loco articulum additum esse debere; deinde vero Sophoclem non dicturum fuisse δεινὸς ὁδίτης ὁ τῶνδ' ἐκ μελάθρων : horribilis viator, qui hoc antrum habitat. Si enim ita indicare Philoctetam voluisset, ut antri habitatorem diceret, non nomen ὁδίτης, sed ἀνήρ vel ἄνθρωπος vel solum articulum positurum fuisse. Ceterum verba δεινὸς ὁδίτης appositionis loco dicta accipit Wunderus, ita ut significarent : als ein schrecklicher Fussgänger.

Hermannus, praeeunte Wakefieldio, verba τῶνδ' ἐκ μελάθρων non cum μόλῃ, sed cum ὁδίτης construenda censet, hoc sensu : quum autem veniet metuendus vir, qui ex hoc antro abiit.

Ac primum quidem recte Wunderus verba illa neque cum *μόλῃ* neque cum *ὁδίτης* jungenda esse ostendisse mihi videtur; quod ad Hermanni explicationem attinet, demonstrari oportebat Graecum esse *ὁδίτης ἐκ τῶν μελάθρων* pro *antri incola, qui ex eo abiit;* ne si articulus quidem addatur, tale quid recte dici posse videtur. Deinde vero, si non ingredi antrum jussit Neoptolemus choreutas, saltem ut viserent, eos invitavit, v. 144: *νῦν μὲν ἴσως γὰρ τόπον — προςιδεῖν ἐθέλεις ὄντινα κεῖται, δέρκου θαρσῶν.* Num hoc eo tantum spectasset, ut choreutis antrum foris adspicere licuisset? Immo spectandi, itaque introeundi venia datur, simul vero monentur, ne diutius in eo commorentur, quia periculum erat, ne subito adveniret Philoctetes.

His monitis Scholiastae praeferenda est interpretatio: *νῦν μέν, φησιν, εἰςελθὼν ὅρα τὸν τόπον· ἐπὰν δὲ ἔλθῃ, τότε σὺ τῶν μελάθρων ἀποστὰς ὑπηρέτει πρὸς τὴν παροῦσαν χρείαν.* Tum: *ὥςπερ ἐγὼ προχωρῶ, οὕτως ἀκολουθῶν πειρῶ με θεραπεύειν ἀεί.* *Προχωρῶν* hic proprio usurpatum significatu procedendi, uti Herod. VII. 50. 2. Thuc. III. 111. Eur. Phoen. 1272. Cffr. Bäumlein in diario, quod inscribitur: Zeitschrift f. d. Alterthumsw. 1845. Suppl. p. 15. et Hartungius ad. h. l.

V. 170. *μή του κηδομένου βροτῶν μηδὲ σύντροφον ὄμμ᾿ ἔχων.*

Hermannus *μή του κηδ. βροτῶν* negat esse genitivos absolutos jungitque cum substantivo *ὄμμα*, hoc sensu : *miseret me ejus, quomodo nullius qui eum curet ne adspectum quidem vicinum habens saevo isto morbo laboret.* Sed praetermisso, quod ea explicatio duri habet, demonstrandum erat, eo sensu *σύντροφον ὄμμ᾿ ἔχων* Graece dici posse. Recte vero Scholiasta *σύντρ. ὄμμ᾿ ἔχων* interpretatur : *κηδεμόνα τινὰ ἔχων.* Cfr. Electr. 902 seq. *ἐμπαίει τί μοι ψυχῇ συνηθὲς ὄμμα.* Ceterum ne quem conjuncta duo participia, alterum in genitivo, alterum in nominativo posita, offendant, Wunderus conferri jubet Trach. 291 seq. *νῦν μοι τέρψις ἐμφανὴς κυρεῖ, τῶν μὲν παρόντων, τὰ δὲ πεπυσμένη λόγῳ*, locumque a Neuio citatum Thucyd. I. 2. *τῆς ἐμπορίας οὐκ οὔσης, οὐδ᾿ ἐπιμιγνύντες ἀλλήλοις.* Plura ejusmodi exempla suppeditat Krügerus, Gramm. Graec. Synt. § 56. IV. 14.

V. 187. *βαρεῖα δ᾿ ἀθυρόστομος ἀχὼ τηλεφανὴς — πικρᾶς οἰμωγᾶς ὑπόκειται.*

Pro codicum scriptura *βαρεῖα* Boeckhius, De metris Pindari pag. 323, legendum putavit *βαρεῖ᾿ ἁ*, — Her-

mannus βάρη· ἁ — Neutram probari conjecturam posse, Wunderus in annotatione ad h. l. (Edit. II[ae]) docuit, neque quae ad ea respondit Hermannus Wunderi argumenta redarguerunt. Quum tamen longa syllaba ante ἀθυρόστομος necessaria sit et adjectivum βαρεῖα vix addi posse videatur substantivo ἀχὼ, quod jam duobus attributis, quae vocantur, instructum est, Gernhardus, in Observv. in Sophoclis Philoctetam, scribendum conjecit βαρείας δ' ἀθυρ.; sed vereor, ne βαρεῖα et πικρά eodem redeant, quare talis adjunctio sit supervacanea. Magis probanda mihi videtur Schneidewini emendatio legentis βαρέα· ἁ δ' ἀθ., laudata illa ab Hartungio ad h. l., quamvis negare non possim, βαρέα post ἀνήκεστα additum languere quodammodo, certe vocabuli vim non augere. Fortasse pro βαρεῖα legendum βοᾷ· cui optime congruunt quae sequuntur : ἁ δ' ἀθυρόστομος κ.τ.έ.

Porro illud ὑπόκειται, quod spurium esse e scholiis appareret, etiamsi sensui non contrarium esset, criticorum curas exercuit. Brunckii emendatio ὑπακούει non satis fortis est neque scholiastae interpretationi convenit : ἀθυρόστομος· πολυλάλητος, μὴ εἰργομένη τοῦ φθέγγεσθαι· ἀθυρόστομον δὲ εἶπε τὴν ἠχὼ, ἐπεὶ πρὸς πάντας ἀντιφθέγγεται. Ὁ δὲ νοῦς·

ἀεὶ δὲ ὀδυρομένου αὐτοῦ, ἠχὼ πρὸς τὸν ὀδυρμὸν ἀντιφθέγγεται. Τηλεφανής· μήκοθεν φαινομένη διὰ τῆς φωνῆς· ἀντὶ τοῦ οἰμώζει καὶ τὴν ἠχὼ πόρρωθεν ἀνεγείρει.

Hermanni conjecturam: ὑπ' ὀχεῖται cum Wundero ideo probare non possum, quia si ἠχώ repercussionem soni significat, neque ὀχεῖσθαι potuit dici, neque, quod multo minus ferendum, ὑπὸ πικρᾶς οἰμωγᾶς ὀχεῖσθαι; sin sonitus significatum habere putatur, recte quidem is vehi, i. e. ferri, diffundi dici potest, sed parum apte vehi dicitur ὑπὸ πικρᾶς οἰμωγᾶς. Nam sonitum non posse dici a gemitu alicujus ferri, nemo non intelligit.

E tribus reliquis, quod sciam, propositis emendationibus, Emperii πικραῖς οἰμωγαῖσιν ὑπαχεῖ; Schneidewini πικρὰς οἰμωγὰς ὑποκλαίει; Hartungii πικραῖς οἰμωγαῖς ὑποκρούει, postremam hanc, in quam ipse quoque incideram, praeferendam duco. Verbum ὑποκρούειν de auditoribus malevolis usurpabatur, qui recitanti obstrepunt; hinc etiam significat ἀντιλέγειν, teste Scholiasta ad Aristoph. Acharn. v. 38. Jure haec imago Hartungio huic loco aptissima videtur. Nam Philoctetae male affecto redditae suae querelae quasi ludibrium videri debebant. Reputa Andromachen

Euripidis iterationem illam lamentorum suorum deprecari coactam.

V. 204. *στίβου κατ' ἀνάγκαν ἕρποντος.* Minus recte Hermannus et hujus exemplo Wunderus et Schneidewinus interpretantur : cujuspiam gravi laboriosoque incessu ingredientis. Primum *στίβον* non incessum, sed semitam, deinde *ἀνάγκην* non gravitatem et laborem, verum necessitatem et vim significare recte monuit Hartungius. Neque quod sequitur v. 213, *ὑπ' ἀνάγκας βοᾷ* proprie notat: clamat prae dolore, sed necessitate coactus quam dolor ei imponit; eodem modo Trachin. v. 822 : *Κενταύρου φονία ἀνάγκα* est mortifera necessitas a Centauro Nesso profecta, quod recte explicat Scholiasta *θανάσιμον αἷμα,* quoniam in illo sanguine fatalis vis, inevitabilis leti necessitas (*ἀνάγκη*) inerat. Praeterea haud sane verisimile infirmo atque aegro pede Philoctetam adeo fortiter terram pulsare potuisse, ut sonitus procul audiretur. Et chorus non loquitur de talibus vestigiis, sed de sonis, quos Philoctetes prae dolore mittebat. Bene Scholiasta : *Τοῦτο δέ φησιν ὁ χορὸς, κτύπον ἀκούσας ἐπερχομένου τοῦ Φιλο—*

κτήτου καὶ στένοντος κατὰ τὴν πόρειαν διὰ τὸ ἄλγος. Legendum igitur στίβον vertendumque: „Ferit aures gemitus hominis, qui necessitate coactus per semitam repens procedere debet". Cfr. Ellendtius, Lexic. sub voce στίβος.

V. 207. διάσημα γὰρ θροεῖ.

Ita omnes libri. L. Dindorfius e conjectura scripsit: δ. γ. θρηνεῖ, quem secutus Wunderus in antistropha v. 216 pro γάρ τι legit τι γάρ, collato Eurip. Iph. Taur. v. 1036: ὑποπτεύω τι γάρ. Sed vulgata, modo γάρ transponatur, sicut fecit Triclinius, retineri potest. Hesychius: θροεῖ· λαλεῖ, ψοφεῖ, θορυβεῖ, ἠχεῖ, ἐκπλήττεται. In antistropha autem recte Hermannus scripsit: προβοᾷ δέ τι δεινόν. Nisi quis cum Hartungio θρεῖ γάρ, et in antistrophe προβοᾷ τι δεινόν (vel melius fortasse: τὸ δεινόν, in quo emphasin habet articulus) legere malit. Hesychius: θρέειν· θροεῖν. In antistrophe autem illud γάρ procul dubio ab emendantibus metricis profectum est; nam non novit illud Scholiasta et sensus repudiat.

V. 226. ἔρημον ὧδε κἄφιλον καλούμενον φωνήσατ᾽ κ. τ. λ.

Participium καλούμενον, quod codices habent om-

nes, plerisque viris doctis displicuit. Itaque alius aliam medicinam adhibere conatus est. Brunckius, praeeuntibus Morellio et Gedikio, *κακούμενον* posuit Wakefieldius *χωλούμενον*, Heathius, *γ'ἀλώμενον* proposuit, Gernhardus e conjectura Hermanni *κ'ἀλώμενον* quod recepit Erfurdtius; Bergkius *κὠλούμενον*. Schaeferus denique Brunckii lectionem retinuit, eumque secuti sunt Buttmannus, L. Dindorfius, Hermannus (Ed. II[a]), Wunderus, Hartungius. Soli e recentioribus, quos novi, Blomfieldius ad Aesch. Agam. v. 1194 (Edit. Klausen), Matthaeius, Schneiderus vulgatae patrocinium susceperunt. Attamen *καλούμενον*, sivi activo sensu invocantem, sive passivo vocatum interpretere, plane friget.

Quod attinet ad propositas lectiones; si ita scribatur *κακούμενον* vel *χολούμενον*, Erfurdtius animadvertit, desiderari copulam, quum particula *καί* in *κἄφιλον* seriem adjectivorum ad *ἄνδρα* pertinentium finire videatur. Buttmanno judice defectus copulae tolerari potest. 'Αλώμενος vereor, ut apte dici possit Philocteta, qui propter pedem vulneratum *ἀλᾶσθαι* i. e. circumvagari nequeat. Participium *ὀλούμενον*, quae Bergkii est conjectura, in fine sic nude positum ferri non potest. Hermannus vero illud *κακούμενον* neque a Brunckio

neque a Wundero recte intellectum esse vult; nimirum id cum praecedentibus vocabulis ita conjungi oportere, ut sententia sit: *κακούμενον τῷ ἔρημον καὶ ἄφιλον εἶναι.* Ac recte quidem ille. Saepius ita verbis adduntur adjectiva modum significantia. In junctura autem nihil est quod offendat: primum dicit: „miserescite hominis infortunati, solitarii," deinde addit majore cum vi: *ἔρημον ὧδε κἄφιλον κακούμενον.*

Forsitan tamen Schneidewini conjectura praeferenda est, leni mutatione legentis *κυκλούμενον*, quam correctionem suadere ei videtur addita particula *ὧδε*, praesertim quum alioquin Philoctetes hic nullam morbi sui mentionem esset facturus; hoc sensu: q u i c o r p u s i t a t r a h o p e d e t e n t i m. Confert Antig. 226: *ὁδοῖς κυκλῶν ἐμαυτὸν εἰς ἀναστροφήν.* Ajac. 19: *ἐπ' ἀνδρὶ δυσμενεῖ βάσιν κυκλοῦντα.* Utraque haec emendatio valde est probabilis; utri palma danda sit, videant doctiores.

V. 228. *οὐ γὰρ εἰκὸς οὔτ' ἐμὲ ὑμῶν ἁμαρτεῖν τοῦτό γ', οὔθ' ὑμᾶς ἐμοῦ.*

Gloriatur quodammodo Wunderus, primum se restituisse *τοῦδέ γε*, quamquam scribendum ita esse

olim jam Matthaeius suspicatus esset. Omnino Scholiasta interpretatus est τῆς προςηγορίας; verumtamen hoc sufficere nequit, ut consentientibus libris vis inferatur. Non opus erat Wundero, ut Hesychium et Euripidem citaret, quo ostenderet, ἁμαρτάνειν etiam eo quo vult sensu cum genitivo jungi solere: hoc quidem nemo negabit. Sed cum accus. junctum invenitur etiam apud Herodotum VII. 139. 6: οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι τ᾽ἀληθές, ad quem locum Schweighäuserus contra Valckenaerium et Reiskium, qui τ᾽ἀληθοῦς scribi jubent, recte monet in consensione librorum nihil tale debere ab editoribus mutari. Vide Matthiaei Gr. Gr. §. 332, coll. §. 421. A. 2. Kühneri Gr. Gr. ampl. §. 513. 3 et A. 2.

V. 243. ἐξ Ἰλίου τοι δὴ τανῦν γε ναυστολῶ.

Librorum scripturam δῆτα νῦν Buttmannus, praeeunte Burgessio in Commentariis qui inscribuntur: Classical Journal, fasc. II. p. 330, recte emendavit legendo δὴ τανῦν, quia particula δῆτα fortiorem, quam hic ferri potest, asseverationem notat.

Non autem video, quo jure Hermannus, eodem Burgessio auctore, τοί ab hoc loco alienum et pro hoc ᾽γώ scribendum censeat, quod hic minus

commodum videtur, quia jam positum est v. 239. Cfr. R. Klotzius ad Devarii librum de Graec. ling. partt. Vol. II. Sect. II. Conjunctis his particulis τοι δὴ indicatur quaedam morositas, quam Neoptolemus simulat. Belgice dicas: Wel, zoo gij dit dan weten wilt, ik kom thans van Troje.

V. 254. μηδ' Ἑλλάδος γῆς μηδαμοῖ διῆλθέ που. La. R. μὴ δ'; de reliquis libris silent. Ald. μήθ'. Turnebus (Triclinii recensio) μηδ'. Sed iteratum μηδὲ ineptam praebet sententiam, nempe talem „de quo ne fama quidem domum, ne in Graeciae quidem locum aliquem pervenit." Dicere debuit: de quo ne fama quidem vel domum vel saltem in Graeciae aliam quandam partem pervenit. Merito igitur Hermanno editt. vett. scriptura servanda visa est, hoc sensu: οὗ μηδὲ κληδὼν μήτ' οἴκαδε μήθ' Ἑλλάδος γῆς μηδαμοῦ που διῆλθεν. Wunderum et Schneidewinum vulgatam retinuisse miror.

V. 276. ποῖ ἐκδακρῦσαι, ποῖ' ἀποιμῶξαι κακά;

Fallitur Hartungius ad h. l. ἀποιμῶξαι significare lacrimis satiari, (seinen Elend ausweinen) sta-

tuens. Vulgo, sicut *ἀποκλαίειν*, *ἀποδύρεσθαι*, *ἀποκωκύειν*, nil nisi deflere, illacrymare, conqueri notat, ut fere constans est Tragicorum consuetudo, ex. c. Antig. 1167 (Ed. Böckh.) : *τόνδ' — εὐνῆς ἀποιμώζοντα τῆς κάτω φθοράν.* Aesch. Agam. 304 : *οὐκέτ' ἐξ ἐλευθέρου δέρης ἀποιμώζουσι φιλτάτων μόρον.* Choeph. 958 (Ed. Klausen) : *νῦν αὐτὸν αἰνῶ, νῦν ἀποιμώζω παρών.* Eur. Med. 31 : *ἢν μή ποτε — πατέρ' ἀποιμώξῃ φίλον καὶ γαῖαν οἴκους θ' κ. τ. λ.* Aristoph. Eccles. 391 : *'Αντίλοχ' ἀποίμωξόν με. κ. τ. λ.*; quae verba ex Aeschyli Myrmidonibus (de qua fabula vid. Ahrens in Edit. Aeschyli et Sophoclis. Paris. ap. Didot) desumta esse tradit Scholiasta ad Arist. l.l. Apud reliquos poetas et apud prosae orationes scriptores rarissime tantum invenitur, ut Antiph. V. 41 (pag. Steph. 724 extr. Baiteri et Sauppii 20) : *οὐκέτι ἔφη με τούτων εἰργάσθαι οὐδὲν, ἀλλὰ τὸ τελευταῖον ἀπῴμωξεν ἐμέ τε καὶ αὐτὸν ὡς ἀδικῶς ἀπολλυμένους.*

Sublata igitur ratione, ob quam Hartungius pro *ποῖ 'ποιμῶξαι* scribendum proposuit *ποῖα δ' οἰμῶξαι*, non est cur a libris mss. recedamus. Solus Ven. *ποῖα μ' οἰμῶξαι.*

V. 289. *δύστηνον ἐξέλκων πόδα.*

Δύστηνος libri omnes; Scholiasta; Suidas, s. v. *ἄτρακτος*. Canteri emendationem *δύστηνον* omnes recentioris aevi interpretes probarunt. Schaeferus vulgatam tueri conatus est hujus fab. v. 728 : *δύστηνος, ὦ τάλας ἐγώ*. Eur. Orest. 1564 (Ed. Th. Fix.) : *καὶ τὴν τάλαιναν ἀθλίαν δάμαρτ' ἐμὴν λάβωμεν,* quibus Schneiderus addidit hujus fab. 699 seq. *ἐξ ὠκυβόλων — τόξων πτανῶν* (quo tamen loco auctore Brunckio pro *πτανῶν* recte emendatum videtur *ἰοῖς πτανοῖς*). v. 1115 : *στυγνόν τε φῶτ' ἐχθοδοπόν*. Trach. 865 : *τάλαιν' ὀλεθρία*. Verum exempla a Schaefero allata Buttmannus recte monuit nihil habere offensionis, quia proxime se contingant synonyma, sed quando, ut h. l., interposito aliquo verbo distineantur eadem, tum demum molestam esse tautologiam. Idem de Schneideri valet exemplis. Versu autem 1115, *φώς ἐχθοδοπός* est vir hostilis, hostis, cui additur *στυγνός* invisus; in quibus nulla est tautologia. Praeterea vero languet vocabulum *πόδα* ita nude positum; scribendum igitur omnino *δύστηνον*. Cfr. hujus fab. v. 1349 : *τῷδε δυστήνῳ ποδί*. Eur. Phoen. 1541 seq. (Ed. Geel.) *γεραιὸν πόδα δεμνίοις δύστανον ἰαύων*. Soph.

Trach. 641 : *τάλαιναν δυστάλαινα καρδίαν πάγκλαυτος αἰὲν ὤλλυτο*, ubi a G. Dindorfio *τάλαιναν* restitutum est.

V. 309. *σῶσαί μ' ἐς οἴκους.* Notandus videtur hic usus verbi *σώζειν*, quo jungitur cum praepositione, motum in locum quendam significante. Solus hic, quod sciam, in Sophocle locus est, ubi *σώζειν* ita usurpetur. Simili modo Ajac. 641: *ἀλλ' αὐτὸ νὺξ Ἅιδης τε σωζόντων κάτω.* et Electr. 431: *κειμήλι' αὐτῇ ταῦτα σωζέσθω κάτω.* Rarus quoque hic usus apud Aeschylum, ex. gr. Pers. 737. (ed. Ahrens.): *καὶ πρὸς ἤπειρον σεσῶσθαι τήνδε, τοῦτ' ἐτήτυμον;* Ex Euripide nullus locus mihi cognitus. Saepius Homerus ita locutus est; ex. gr. Il. V. 224; XVII. 692; Od. V. 452. Longe tamen frequentius ita legitur apud prosae orationis scriptores, e. c. apud Herod. IV. 77; Xen. Anab. VI. 2. 8; VI. 3. 20; Cyr. V. 4. 16. Polyb. III. 117. 2.

V. 313. *οἷς Ὀλύμπιοι θεοὶ δοῖεν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ παθεῖν.*

Porsonus in Adversariis p. 199. duorum pronominum conjunctione *οἷς* et *αὐτοῖς* offensus, *οἵ'* scribendum putabat, quod non opus est. Hermanno,

ad Vigerum adn. 28. p. 709 et 803, et in ed. IIa. ad h. l. anacoluthi genus esse videtur, positum in eo, quod oratio abrupta denuo inchoatur, quod fiat vel negligentia quadam, ut in epicorum illo ὧν ὁ μὲν αὐτῶν, vel rei explicandae caussa, ut ὧν ὁ μὲν ὑμῶν, vel quum in medio positum est, ut in Oed. R. 246., vel denique propter commotionem mimi, quum quis aliquantisper dubitans quibus verbis utatur, dein expleat ea, quae dicere exorsus erat.

Quamvis speciosa sit haec explicatio, tamen ejusmodi dicendi negligentiam poetae obtrudere mihi non necessarium videtur, maloque cum Buttmanno, Matthaeio, Schneidewino, Hartungio αὐτοῖς interpretari ipsis, ut hoc periodi membrum magna cum vi priori opponatur, hoc quidem sensu : *Utinam* iis *Dii ea quibus me affecerunt mala aliquando* ipsis *rependenda tribuant.* Quod autem ad conjecturam οἷ' attinet, certissimam eam a G. Dindorfio et Wundero judicatam, eam ab hoc loco alienam esse videbit, qui reputaverit, poetam, si hoc scripsisset, profecto illud ἀντίποιν' ἐμοῦ non additurum fuissa. Quod si ad emendationem confugiendum esset, probabilius foret αὖθις, quod saepe in libris scribitur αὖτις, unde facile αὐτοῖς nasci potuit.

THESES.

I.

E Sophoclis Philocteta certa clarorum hominum vel rerum insignium significatio peti nulla potest.

II.

Sophoclis Philoct. vss. 1136 seqq. (Herm.) sic legendi :

ὁρῶν μὲν αἰσχρὰς ἀπάτας,
στυγνόν τε φῶτ᾽ ἐχθοδοπὸν,
μυρία τ᾽ αἰσχρῶν ἀνατέλλονθ᾽, ὅσ᾽ ἐφ᾽ ἡ-
μῖν κακ᾽ ἐμήσαθ᾽ ἀνήρ.

III.

Male Musgravius et Johnsonus *δαίμονας* in Sophoclis fabulis genios intelligi voluerunt.

IV.

In Sophoclis vita ed. Westermanni pag. 72, pro χελιδόνα legendum videtur Κηληδόνα, pro λαβὼν δέ φησιν ἐπέγραψε τῷ τάφῳ αὐτοῦ τάδε, ibidem: Ἰοφῶν δέ, φασιν, ἐπέγραψε κ. τ. ἑ. vel Ἰοφῶν δὲ, ὥς φησιν ***, omisso auctoris, *Istri* fortasse, nomine.

V.

Narratio, quae fertur de Sophocle, quod octogenarius a filiis dementiae accusatus se coram judicibus defendisset recitando Oedipo Coloneo, videtur e fabula in historiam migrasse.

VI.

In Suidae verbis s. v. Ἀρίσταρχος: οὗτος δὲ ὁ Ἀρίσταρχος σύγχρονος ἦν Εὐριπίδῃ, ὃς πρῶτος εἰς τὸ νῦν αὐτῶν μῆκος τὰ δράματα κατέστησεν, vocabulum τὸ νῦν μῆκος non de numero versuum cujusque tragoediae, sed de temporis spatio, quo res in scena acta comprehenderetur, accipiendum est.

VII.

Canon Dawesianus qui dicitur, (Misc. Crit. p. 221.), quod ad οὐ μή cum fut. indic. junctum attinet, falsus est.

VIII.

Probanda Madvigii emendatio in Cic. Phil. II. c. 21 : »Accipite nunc, quaeso, non ea, quae ipse in se atque in domesticum dedecus impure atque intemperanter" &c. pro dedecus legentis decus.

IX.

In Corn. Nepotis Vita Alcib. II. 3, pro : »quoad licitum est, odiosa multa delicate jocoseque fecit," scribendum videtur : »quoad licitum est otioso, multa" etc.

X.

Horatius Carm. I. 22. vs. 13 seq. *militaris Daunias* non de regione, sed de incolis interpretandum.

XI.

Non assentior Mitscherlichio statuenti, Horatii codices, quos hodie habemus, omnes e recensione Mavortii et Felicis fluxisse.

XII.

Probanda Madvigii emendatio in Juvenalis Sat. II. 158, sic legentis :

. . . . . . Si foret humida laurus
Illic. Heu, miseri, traducimur!

XIII.

Mutata a Clisthene φυλῶν descriptio et numerus plurimum valuerunt ad democratiam Athenis augendam.

XIV.

Platonis Phaedonem non brevi post Socratis mortem tempore, sed post confectum demum iter in Italiam ab ipso conscriptum esse probabile est.

XV.

Quod Plutarchus de Lacedaemoniis dicit Vit. Lycurgi, c. 30 : ὡς ἄρχεσθαι μὲν ᾔδεσαν, ἄρχειν δ' οὐκ ἠπίσταντο, hoc eorum historia post bellum Peloponnesiacum, quum Graeciae principatum adepti essent, comprobavit.

XVI.

Fallitur Perizonius Animadvv. hist. c. VII, p. 236 seqq. *spolia opima* non modo ea fuisse contendens, quae dux Romanus de duce hostium recepisset, sed etiam quae miles gregarius, dummodo de duce hostili, reportasset.

XVII.

Probabiliter G. A. Beckerus contendit, quod a

populo in comitiis centuriatis jussum esset, id ante legem Publiliam et legem Maeniam tum demum ratum fuisse, si patricii in comitiis curiatis auctores facti essent.

XVIII.

Fabius Pictor, primus Romanorum historicus, plurima e Graecis logographis hausit.

ERRATA.

Pag. 2. *pro :* ΠΡΌΛΟΓΟΣ *lege :* ΠΡΟΛΟΓΟΣ.

— 8. — Richelieu — Richelivius.

— — ΠΆΡΟΔΟΣ — ΠΑΡΟΔΟΣ.

— 22. — Ὁμέμνηται μηρος — μέμνηται Ὅμηρος.

— 101. post : nomine. adde : Cfr. E. von Lentsch in Philologo, A[1] 1846, p. I. pag. 128 seqq.

— 102. — multa, etc. adde : Cfr. K. Nipperdey in Philologo, A[1] 1846, p. IV. pag. 657.

Cetera quae propter loci distantiam et temporis angustias remanserunt typothetarum menda ipse corrigat benevolus lector.